TOBAGO
Insulæ Caraibicæ
IN
AMERICA
SITÆ
FATUM.
SEU,

Brevis & succincta Insulæ hujus descriptio, tribus constans capitibus, quibus Magnitudo. Natura & status ejus sub diversis Dominis exhibetur; ejus intuitu in Anglia alibique hactenus actorum vera & fidelis ratio relatioque traditur, atque jus in illam soli Celsissimo Curlandiæ Duci competens paucis ostenditur.

á

J. C. P.

GRONINGÆ,

Apud JACOBUM SIPKES, MDCCXXVII.

Celsissimo

Principi ac Domino

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

IN LIVONIA

CURLANDIÆ AC SEMIGALLIÆ

DUCI

Principi ac Domino meo Clementissimo

Quod Felix faustumque sit!

JOHN CARTER BROWN.

CELSISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME.

Fatô quasi ex Saxoniæ meæ confiniis in Curlandorum terram translatus non levem, sed insignem planè, beatissimi Celsitudinis Vestræ Parentis, Domini Friderici Casimiri, *in* Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ *Ducis quondam Celsissimi, gratiam atque clementiam expertus sum, cum* Berolinô Rutzavium, *primam Vestræ Celsitudinis* Prussiam versus *in* Samogetarum *limite præfecturam, reducem submisse adeundi atque de reditu suo congratu-*

tulandi occasio & facultas mihi suppeditaretur. Quare perceptâ Hagæ-Comitum ; (*ubi anno* 1697. *& sequentis principio unà cum Generosi Domini supremi Curlandiæ* Burggravii *de* Brincken *filio natu majore commorabar*) *Celsitudinis suæ subitaneâ morte , præproperum Optimi Principis fatum summoperè deploravi , speque insuper illâ , quâ abeuntem me , indignum etsi , Celsitudo sua gratiosissime cumulaverat maturè satis videbar excidisse. Ast quum* Mitaviam *pôst biennem peregrinationem reversus essem , Celsissimus Dominus Dux ac Princeps* Ferdinandus , *Vestræ tum Celsitudinis Tutor Ducatuumque prædictorum Administrator à Sacra Poloniarum Regis* Augusti *Majestate constitutus ac plurimorum ex singulis Paræciis deputatorum voto & comprobatione die* 9. *Junii an.* 1698. *receptus , ad cubiculi consilia tenuitatem meam adhibuit , & non ita multo post ad Serenissimi* Electoris Brandenburgici , *nunc Potentissimi in* Prussia Regis ; *Serenissimi* Landgravii Hassiæ ; *Serenissimæ ac Potentissimæ* Reginæ Poloniæ ; *Serenissimi ac Potentissimi* Magnæ Britanniæ Regis Aulam , *ut & ad* Præpotentes Belgii Confœderati Ordines , *ac tandem ad Serenissimum ac Potentissimum* Daniæ & Norwegiæ Regem , *cum propriorum suorum , tum Vestræ maximùm Celsitudinis negotiorum gerendorum gratia ablegavit. Singula quôvis loco expedienda , debitâ , quantum mihi conscius sum , fide atque obsequio curavi , sicuti Vestra Celsitudo ex meæ relationis instrumento , cum in manus suas , prout spero , devenerit ; plenius cognoscet. Atque ideo plura etiam*

hoc

hoc loco de his disserere supersedeo. Quoniam verò res ad TOBAGO *insulam pertinentes, omnium maximè fidei & curæ meæ commissas fuisse memini, jam, cum muneris hactenus gesti tempus stipulatum expiraverit, verum Vestræ Celsitudini statum & conditionem ejus exponere atque insimul hactenus in* Anglia *vel alibi Insulæ intuitu actorum gestorumve compendium aliquod, devotionis meæ pignus tanquam, exhibere mei fore officii judicabam. Nam præterquam quod status Insulæ hujus semper varius neque unquam in* Curlandia *debito satis more observatus curatusve fuerit, jus etiam Vestræ Celsitudini in illam competens non leviter periclitari adeoque vel aliquâ saltem defensione opus habere videbatur. Eâ propter* situm, naturam & qualitatem *Insulæ, quantum potui, brevissimè primo;* historiam rerumque propter illam in Anglia gestarum seriem *altero; ac tandem juris Celsissimæ Ducum Curlandiæ Domui in eam competentis argumenta, quibus unâ adversariorum prætensiones & objectiones refelluntur, tertiò capite exposui, indicatis partim vel annexis postremò documentis necessariis probatoriisque. Supererant quidem adhuc non pauca, ast illa typis committere non audebam. Operam verùm dabo, ut propriâ manû descripta in posterum Vestræ Celsitudini submissè extradantur. Interim & hasce observationes sufficere posse atque usui Vestræ Celsitudini fore confido, quas nec publici juris fieri, nec ulli, absque expresso Ejus mandato communicari sinam. Velit igitur Vestra Celsitudo hancce, levem etsi, operam sereno vultu & favore suo dignari; quæ ut valeat,*

tan-

tanquam ſpes unica Patriæ ſuæ, atque diu feliciſſimè in ſolatium deliciumque ſubditorum ſuorum vivat, animitus precatur.

VESTRÆ CELSITUDINI

Dabam Hagæ-Comitum
die 20. Sept. an. 1705.

Subjectiſſimus

J. C. P.

Lectori Benevolo.

QUum primum hujus operis σκιαγραφίαν aliquam conciperem, paucis illud me absolvere posse paginis cogitaveram, adeoque nimio Duci ac Principi meo Clementissimo inserviendi studio abreptus annexa prius, quam ipsum textum, typis exprimenda curavi. Ast sub manu postea tantùm excrevit opus hoc, ut paginæ, quas illi destinaveram, deficerent. Igitur illas, quas post numerum primum 32. inserui, totidem literis minoribus d quot supererant, distinguere coactus fui. Quæso hanc, Benevole Lector, præcipitantiam excuses atque menda, quæ per festinationem irrepsêre, sequentia corrigas.

In textu Corrigenda.

Cap. I. §. 1. p. 1. in not. sub l. a. lege *scrupulus*, pro, *scrulus*. § 3. p. 5. *cuidam*, pro, *quodam*. ibid. *quodve leviori*, pro, *quod veleviori*. pag. 6. *temperatum*, pro, *temperatam*. & *infectum*, pro, *infectam*. pag. 13. pro, *Superior maxilla inferiore*, lege, *Inferior maxilla superiore*. Cap. II. § 1. pag. 17. lege, *privatas Hollandorum*, pro, *privatos Hollandærum*. § 4. pag. 23. leg. 1640. pro, 1642. it. in not. *qualesquiera enemigos*, pro, *qualesquier aenemigos*. §. 6. p. 26. bis positam vocem *valorem* dele semel. pag. 28 primâ. transloca verbum, *capere*, post verba, *possessionem ejus*. pag. 27. secundâ. in not. lege *obediencia*, pro, *ubediencia*. ibid. p. 28. II. *acercar*, pro, *accercar*. it. *en ella*, pro, *en alla*. ib. pag. 29. lege *mandatores*, pro, *commendatores*. it. *instruere*, pro, *providere*. ib. p. 31. infere post verba *sub lit:* F. G. H. I. & lege in not. *cuyo medio*, pro, *cuyo medi*. it. *a sus païs*, pro, *a sa païs*. pag. ib. 32 infere post verb. *sub lit*. N. § 8. seu pag 29. tertia. lege, *Trade*, pro. *Traite*. pag. 38. *confœderati*, pro, *confdœrati*. p. 39 infere post, *sub lit*. o. Cap. III. § 2. n. 1. post verb. M. B. *Rege*, infere, *Jacobo I.* eod. §. n. II. lege, *credibile non est*, pro, *præsumtio non* levis est. eod. § p. ddddd. lege, *alias res*, pro, *alias cui*. § 3. p. ddddddd. 2. *Ludecke*, pro, *Luendecke*. §. 5. p. ddddddddddd. dele, *portus*.

Errata in Annexis.

Lit. A. pag. 36, lege *quot*, pro, *quod*. Lit. D. p. 40. *Domus*. pro, *Dumus*. Lit. F. p. 46 in fin. *Johanne*, pro *Johannes*. Aliquoties hîc legitur *commitiis*, pro *comitiis*, ast ipsa contractûs verba posui, quilibet pro lubitu probet, vel corrigat. Lit. H. p. 56. lege, *tertio & quarto*, pro *tertio & quarta*. p. 65. *teloniorum*, pro, *teloneorum*. Lit M. p. 81. *interregno*, pro, *interegno*. it. *Gubernator*, pro, *Guberntaor*. p. 82. *Societas*, pro, *Societatis*. it. *deducantur*, pro, *decucantur*. Lit. N. p. 88. lege, *concludendum*, pro, *concludendem*. Ponatur comma post vocem *potius*, & deleatur aliud post, *Plenipotentiam*. it. lege, *notitiam*, pro, *notiam*. p. 90. in pr. *præterlapsus fuerit*, pro, *præterlapsus rit*. p. 92. *novæ*, pro, *novâ*. p. 93. *licet*, pro, *decet*. p. 95. *debeat*, pro, *debeant*. p. 100. *publico*, pro, *puliquô*. p. 104. *exiguus*, pro, *exiguus*. it. *exquirendi*, *quô*, pro, *exquirend quiô*, p. 107. *Anglia*, pro, *Anglica*. p 108. *Paradisum*, pro, *Paradisem*. it. *sponte*, pro, *sponta*. p. 109. *mittendi*, pro, *mittere*, & p. 116. Subscriptorum nomini quinto, *Richard*, adjice, *Goddard*.

CAPUT PRIMUM

(1) *De ſitu* (2) *Magnitudine*, & (3) *Natura Inſulæ* TOBAGO.

§. 1 TOBAGO Inſula in Novi Orbis parte Septentrionali ejuſque Oceano Barbados inter & Trinidados Inſulas ſita, atque undecim graduum, ſedecimque ſcrupulorum (*a*) ſpatio ab Æquatore remota fertur. Illarum continetur numero, quæ vulgò vel *Antiles*, (eâ propter, quod reliquis propriè ſic dictis *Americæ Inſulis* quaſi oppoſitæ ſunt,) vel *Caraïbicæ* & *Cannibales* Inſulæ (â gentibus, vel populis, qui illas quondam habitavêre, partimquè hûc tenus incolunt,) nominantur. Nonnulli has noſtrâ ætate *Camertzanes* appellitarunt. (*b*) Harum viginti octo eſſe perhibetur numerus. Dividuntur (1) in *Inſulas infra ventum*, (Gallis *Iles de deſſous le vent*) Eoum ſcilicet, qui in Caraïbicis Inſulis ferè perpetuus & nonnunquam cum Borea mixtus paulisper ſentiur, quum Heſperii

A con-

(*a*) v. autor Gallicus, dans l'Hiſtoire Naturelle & Morale, des Iles Antilles de l'Amerique, editionis Roterodami Anno 1658 typis Arnoldi Leers impreſſæ L. 1. c. 2. articulo 1. p. m. 7. Gradus quindecim milliaria Germanica, juxta vulgarem computationem, habere fertur; ſcrupulus ponderis æquè ac menſuræ nomen eſt. In ponderibus XXIV. pars unciæ, in menſuris centum pedûm ſpatium ſcrulus vocatur. v. Budæus L. 1. de Aſſe & Columela L. 1. c. 1.

(*b*) v. Blaeu in deſcript. Tab. ſuarum des Iles de l'Amerique en l'Ocean Septentrional.

contra vel Meridialis rarò reficiantur flatibus : (2) in *Septentrionales*, & (3) in *Meridionales*. Insulæ *infra ventum* præcipuæ recensentur novem istæ sequentes. *S. Eustatii*, Hispan. *Eustatio*, Gall. *l'Ile de Saint Eustache*; *S. Bartholomei*, vel *S. Bartholomo*, Gall. *l'Ile de Saint Bartelemy*; *Saba*, Gall. *l'Ile de Saba*; *S. Martini*; Gall. *l'Ile de Saint Martin*; *Anguilla*, Gall. *l'Ile de l'Anguille*; *Insula, quæ a pileo nomen habet & communiter Hispanico vocabulo appellatur Sombrero*, vel *l'Ile de Sombrero*; *Inundata*, Hisp. *Anegada*, Gall. *l'Ile d'Anegade*; & *Virginum Insulæ*, Gall. *les Iles des Vierges*, quarum duodecim vel tredicem traduntur. Insulæ Caraïbicæ Septentrionales sunt; *S. Christophori*, Gall. *l'Ile de Saint Christofle*; *l'Ile de Nieves*; *Barbada*, Anglis *Barboude*, Gall. *l'Ile de la Barbade*; *Rotunda*, Hisp. *Redondo*, Gall. *l Ile de Redonde*; *Montis Serrati*, Hisp. *Montserrato*, Gall. *l'Ile de Montserrat*; *Insula Antigoæ*, Gall. *l'Ile d'Antigoa*, aliis dicta, *la Descada*; *Guadalupa*; *Insulæ tres* aut *quatuor desertæ, a Sanctis & Avibus denominatæ* vulgoque dictæ, *les Iles des Saintes, è des Oiseaus*; *Marigalante* seu *l'Ile de Marigalante*; *Insula Dominica*, seu *l'Ile de la Dominique*. Insulæ *Meridionales* hæ memorantur; *Martinio* seu *l'Ile de Martinique*; *Santa Lucia*, vel *l'Ile de Sainte Lucie*; *Barbados*; *Insula S. Vincentii*, vel *l'Ile de Saint Vincent*; *Bequia*; *Granada*, cum parvis tribus vel quatuor insulis, ab Hispanis *Granadillos*, à Gallis, *les Grenadins* denominatis; actandem

To-

TOBAGO, maximè præ cæteris Caraïbicis Æquatori vicina. Nonnulli ab herbâ, cui nomen *Tobac*, ſic appellatam putant; alii herbæ ab Inſula, in quâ abundanter creſcere atque optima aſſeritur, nomen fuiſſe inditum contendunt.

§. 2. Octo circiter leucas in longitudine illam habere, autor *Hiſtoriæ Naturalis Caraïbicarum Inſularum* arbitratus eſt. (*c*) Leuca milliare Gallicum eſt, quod vulgò Italica duo, ſeu duos aut tres mille paſſus continere fertur. Aſt quia hodierna Italiæ & Vetera Romanorum milliaria differunt, hæcque ab illis vincuntur, certius leuca definiri non poteſt, quam ſpatio, quod curſor pedeſtris unius horæ intervallo emetiri poteſt. Hollandi, qui per horas computant, ſedecim TOBAGO in longitudinem, quatuor in latitudinem perhibent extendi. Angli octo & viginti milliaribus longitudinem, octo latitudinem, Inſulæ illius dimetiuntur. Milliare Anglicum mille quinquaginta ſex paſſus efficit (*d*) Longitudo igitur TOBAGO Inſulæ juxta illorum computationem 29456, latitudo 8448. paſſus comprehendet. Si hæc paſſuum ſumma cum vulgari milliaris Italici menſurâ, (ſecundum quam

A 2 mil-

(*c*) V. l. c. & L. 1. c. proëmiali.

(*d*) Vid. Edw. Chamberlayne P. III. Not. Angl. c. 2. de computatione, numeris, ponderibus, menſura & moneta, p. m. 261. editionis impreſſæ Londini Anno 1700.

mille passus referre dicitur,) conferatur, longitudinem Insulæ viginti novem milliaria & quadringenti quinquaginta sex passus; latitudinem autem octo milliaria, quadringenti quadraginta octo passus complecti apparebit. Si duobus millibus passuum leuca definiri debet, longitudinem quatuordecim leucarum & mille quadringenti quinquaginta sex passuum; latitudinem vero quatuor leucarum, quadringenti & quadraginta octo passuum fore elucet. Ast si Lipsii de mensura milliarium Italicarum mentem sequi oportet, quam juxta tria vel quatuor milliaria Italica leucam unam, seu milliare Gallicum, vel horæ Hollandicæ spatium efficiunt, (*e*) non admodum errasse in longitudine prænominatum de Caraibicis Insulis Scriptorem arbitror. Quoniam vero TOBAGO vel non satis examinari, vel propter infestas Caribûm incursiones mensurari forsan accuratè non potuit, neutri harum,

(*e*) Vid. Lipsi. Epist Select. cent. Epist. 59. ad Micaultium ubi hæc habet: Græci per *Stadia* fere computant: atque ea etsi alibi alia, tamen communi more & usu, *sexcentorum pedum* hîc sunto. Pes autem Græcanicus Romano semiuncia est major. Romani per Milliaria metiuntur, quibus a mille passibus est nomen. Passus autem *pedes quinos* continet: & pes Romanus vulgari nostro paullo est major. *Octo Stadia* paullò minùs (ita Plutarchus) in Milliare unum imputantur: etsi Suidas Septem cum dimidio distinctius profert. Nos hodie per *Leucas* ferè computamus: atque eas horario spatio finimus. Nunc quæritur, quot prisca sive Romana milliaria in Leucam nostram veniunt? vulgo tria asserunt: nec malè, si hodierna Italica aut Romana spectemus. Si vetera, vereor ut errent. Antonii Itinerarium qui inspicit & comparat; videbit palam milliaria illa vinci ab hodiernis. Qui lapidum intervalla, qui hodieque in veteribus viis, signa

rum, de magnitudine ejus ſententiarum, accedere tutum videtur. Id vero perſuaſum habeo, inter Caraïbicas non minimam, ſed Barbados dictæ Inſulæ, ſin parem omnino, haud verò multum diſparem eſſe.

§. 3. De fertilitate Inſulæ omnium communis & conſtans ſermo eſt, ut Pointzio in malam partem verti nequeat, quod Paradiſo terreſtri quodam illam comparaverit, licet Baro de Blumberg obſervatione ad articulum XVIII. contractus ſui hanc rideat expreſſionem. Nullatenus enim concipere poſſum, Pointzium ſtultum adeò inſenſumque eô tempore, quô librum ſuum conſcripſit, extitiſſe, ut primævi Paradiſi ſtatum ibi vigere contenderit; quin potius fertilem oræ, Inſulæ, ejuſque agrorum naturam tantum innuere illum atque monſtrare voluiſſe, quod veleviori operâ, quam in Europa, terra ibi cultivari colique poſſit, exiſtimo. De eximia enim Caraïbicarum, & inter illas etiam, de TOBAGO Inſulæ felicitate non pauci teſtimonium perhibent. Bre-

 vi-

ſigna milliarium, cum numeris ſuis extant: idem cenſebit. Idem qui hæc noſtra mox producenda comparabit. Si enim tria tantum milliaria in unam noſtram ſumes, ſurgent ſpatia diurna ab homine confecta, ſupra omnes humanas vires. Sed illud de lapidibus, per mihi firmum eſt: & exſtant cum alibi hodie, tum in Luſitania, via militari ad Emiritam Auguſtam, ubi ſingula milliaria ſingulæ ſuæ columnæ inſcripta diſtinguunt. Qui ſpatium dimenſi ſunt (inter alios, amicus noſter Carolus Cluſius) certo aſſerunt, *quatuor* ea venire *in unam Leucam*. Hoc igitur ſequemur, ne nimia mira dicamus.

viter cuncta percurrere constitui. De Insulis Caraïbicis in genere omnes testantur, aerem temperatam ibi esse nec ulla pestiferæ auræ infectam labe. Enim verò scriptor supra citatus, quondam malignas, quas Medici contagiosas judicabant, febres in illis regnasse recitat : addit autem quoque, per navigia, ex Africæ oris ad illas appellentia, ejusmodi genus morbi invectum, postmodum verò, & suo quidem tempore, nihil planè de hâc contagionis specie auditum fuisse amplius. Neque admodum calida neque frigida illius oræ temperies fertur. Divini enim Numinis sapientiâ & providentiâ Zonæ Torridæ substratis hisce Insulis benignè adeo provisum est, ut octavam inter & novam matutini temporis horam levis exoriatur ab Oriente ventus, qui sæpius ad quartam usque post meridiem durat, & Aëris Solisque ardores restinguit. Hyems nulla planè in *Antillibus* seu *Caraïbicis* existere miraculique instar fore habitum dicitur, si ulla glacies unquam ibi videretur. Attamen nocturno tempore frigida non parum ibi temperies cæli invenitur, ut si quis eâ pendente nudus somno vacet, Epiphoram & maximos stomachi dolores cogatur experiri. Usu quoque & consuetudine hominum eò delatorum constat, illos, qui nudantur nocturno tempore, sin stomachi doloribus afficiantur, certè tamen debiles, flavos, tumidosque fieri, atque vivos naturalesque

leſque colores perdere. Ratio potiſſima, (cum inutiles negligamus, utpote in aliorum relationibus legendas,) quod in locis, Solis ardori quam maxime ſubjectis, tanto frigidiores exiſtant noctes, quanto calidiores ſentiuntur dies, hæc præcipuè datur; Solem pendente die plurimos attrahere vapores, quos nocte condenſari & roris inſtar abundantis decidere adeoque aërem reddere frigidiorem experientia doceat. Chiliarcha Monckius oretenùs relatum mihi dedit, ſe cum Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo nono, Gubernatoris futuri titulo, ad inſulam TOBAGO, cum navibus aliquot ex Curlandia ablegaretur, experientiâ edoctum, in illis ſeu Caraïbicarum Inſularum oris, nocturnis horis, propter frigidos, quos terra exhalat, vapores, lectos militum in tentoriis duorum pedum ſpatio terrâ elatiores fieri curæ habuiſſe. Fides ſit penes autorem. Id communi omnium conſenſu refertur, *Æquinoctium* in terris illis, per dimidii ferè anni ſpatium durare & longiſſimam diem in cæteris Antilibus quatuordecim propè, in TOBAGO autem Inſulâ vix & ne vix quidem tredecim horarum eſſe. Adeoque exiſtimant nonnulli, annum ibidem loci, non in quatuor partes, ſicuti fit in Europâ, diſpartiri poſſe. Pluviæ nimirum, quæ frequentes poſt Aprilis ultima ad Novembris initia ibi cadunt & obſervantur, ſolam temporis facere differentiam & viciſſitudinem exiſtimantur. Nomen Æſtivi & Hyberni temporis certò ab illius

oræ

oræ incolis non describitur, fortè quoniam diversæ, &, si numerus respiciatur, vulgares anni partes ab illis tanquam ignotæ exprimi nequeunt. Si diversæ temporis aëriſque constitutiones atque temperationes designandæ forent, plures dissentire & opiniones fovere contrarias palam prostabit. Quidam opinantur dies ibi nunquam habere crepusculum, (quod medium noctem inter diemque tenet,) neque *Ver* nec *Autumnum* ibi esse, licet hæ anni partes *Æstivi Hybernique* temporis vincula quasi sint. Alii nullam prostare contendunt rationem, quare illis insulis applicari debeat *hyems*, quum agri nec glacie nec nive unquam obruantur, sed potius semper amabili viriditate vestiti, floribus coronati & fructibus, quamvis mensurâ differentibus, onusti appareant. Exinde certos nos facere præsumunt, *Ver*, *Æstatem* & *Autumnum* in tres dividere partes annum, etsi neutrum tempus suis circumscribi limitibus distinctè possit, ceu in aliis locis. Adversantur huic divisioni novi harum Insularum coloni, qui tempus illud pluviis ferè perpetuis infestum *Hiemem*, pulchrum autem, amœnum, & serenum *Æstatem* esse arbitrantur. Enim vero Scriptor citatus, ex cujus historia modo prædicta deprompsi, *Acostam Hispanum* L. XII. c. 13. sicuti revera etiam est, querentem adducit, Hispanos tempus pluviarum pro *hyberno* sumere. Demonstrat enim *Acosta* ille, sub *Zona Torrida* illô

illô tempore, quô ſiccitas & ſerenitas enaſcitur, Solem à terris illis removeri, adeoque Hyemem eſſe; è contrario, quum pluviæ & imbres decidunt, Solem proximari atque ſic quidem Æſtatem conſtitui. Sed eſt in re levi inutilis planè diſceptatio. Sufficit ab Hiſpanis, Caraïbibus aliisque Europæ Nationibus, intempeſtatem, ſeu, perturbationem Cœli, Hyemem; ſerenitatem vero Æſtatem putari, cum nulla ibidem loci alia diſtinctio locum inveniat. Fluxus maris ab Oriente ad Occidentem & vice verſâ Refluxus bifariam ſingulis diebus obſervatur, eôdem planè modô, ac in Europa; niſi quod propter maris profunditatem & terrarum plurimarum præcipitia minus diſcerni queat. Agri in plurimis Inſulis præcipuè Tobago noſtrâ divites & frugiferi: ubi culti, ibi ſuſtentatio & victûs abundantia. Amnes aquas ſalubres & dulces habent, & piſcium omnis generis copia refertiſſimi dicuntur. Vites Sylvæ arboribus circumdatas monſtrant; uva ſeu racemus magnus eſt & optimus; vinum verò inde expreſſum paucorum dierum ſpatio corrumpitur. Annonæ niſi aliundè advectæ penuria; victus aſt cæteri ſpecies cunctæ modica dietâ digeri facile & in uſum verti queunt (*f*) Tobago montes dicitur habere amœnos, ex quorum radicibus octo viginti amnes emergunt, & poſtquam, agros irrigarunt in mare devolvuntur. Inculta quam-

(*f*) Vid. Hiſt. Nat. & Moral. Antil. in proem. du Tertre in Hiſt. general. Antil. Tom. II. tr. II. c. 2. toto: Rochefort. in deſcript. Tobago, ſeu Novæ Walcheræ &c.

vis nunc jaceat, præmissas tamen qualitates possidet. Si arboribus sylvarum superfluis cæsis aperta & propatula magis redderetur, aërem ibi sanum fore perhibent, qui viserunt illam. In Umbilico quasi & maximâ ejus planitie arborem ingentem, & vix aliquot hominum brachiis complectendum, ex cujus radicibus fons perennis aquæ dulcis scaturiat, extare testatur Rochefort, Monckius & alii. Aqua fluvialis nitrosa paululum projectis in vas globulis candentibus corrigi potest, eôdem Monckio teste. Agri ad quascunque plantationes, sive *Zachari*, sive *Tobaci*, sive pigmenti illius, quod *Indigo* appellant &c. aptissimi commodissimique. Inventam quoque in hâc insula primum ab Hispanis herbam Nicotianam, autor *Hist. Nat. & Moralis Antilium* narrat. (*g*) Sylvæ arbores maximos &

(*g*) v. T. I. c. 10. art. 2. verba ejus sunt: *La plante de* Tobac, *ainsi appellé a cause de l'Ile de* Tobago, *ou selon l'opinion de quelques uns, elle a été premierement découverte par les Espagnols, est aussi nommé* Nicotiane, *du nom de Monsieur* Nicot. *Medecin, qui la mit le premier en usage en l'Europe, & qui l'envoya de Portugal en France. On la qualifie encore* Herbe à la Reyne *parce qu'étant apportée de l'Amerique, elle fut presentée a la Reine d'Espagne comme une plante rare, & de merveilleuse vertu. Les Espagnols lui donnent de plus de nom* d'Herbe Sainte, *pour les excellens effets que l'experience leur en a fait sentir, comme temoigne Garcilasso, au 25 Chapit. du 2. Livre de son commentaire Royal des Yncas du Perou. Enfin on l'appelle* Petun, *bien que Jean de Lery s'en mette fort en colere, soutenant que la plante, qu'il a veuë au Bresil, & que les Taupinambous nomment* Petun, *est tout à fait differente de nôtre* Tobac. *Les Caraïbes le nomment en leur langue naturelle* Y Ouly. *On ne connoissoit autrefois dans les Iles d'autres Plantes de* Tobac, *que celles que les Habitans nomment ordinairement* Tobac vert, & Tabac à la langue, *à cause de la figure de la feüille. Mais depuis qu'on y a apporté de la terre ferme, de la semence de celles qu'on appelle* Tabac de Verine, *& Tobac des Amazones, on les a aussi divisées en ces quatre sortes.*

& in his etiam Cedros Sylveſtres exhibere dicuntur. Ferarum genera quinque memorantur. I. *Javaris* porcorum ſylveſtrium genus. Apris noſtris ſimile, niſi quod in dorſo umbilicum gerat, per quem pulmones reſpirant, quô curſus beſtiæ infatigabilis ferè redditur. (*h*) Canes fugienti inhærentes acutiſſimis dentibus arcet, ſæpius diſcerpit. Aprugnam hanc carnem non inſipidam eſſe ajunt. Monckius umbilicum cæſâ beſtiâ ſtatim exſecandum ſuadet, ne odor moſchicus, in eô contentus, per ſingulas cadaveris partes diſpergatur. II. *Tatuos* animal Caraïbibus dictum. Pellem corticatam, ſquamatam & decem circulis quaſi munitam, duram ſolidamque; caput porcelli; & quinque, vel ut aliis placet, quatuor tantum in ſingulis pedibus acutiſſimos ungulos, radicibus, (quibus nocte veſcitur & pingueſci,) ſcrutandis, eradicandiſque aptiſſimos habet. Preſſum â canibus venaticis in globum tanquam erinaceus noſter convolvitur, quô facto armis aut canum morſibus haud facile læditur. Tribus pene menſibus intregris in terræ cavernis inſtar cuniculorum occultatur. Carnem ejus albam, pinquem, & exquiſitam guſtu eſſe perhibent.

 Oſ-

(*h*) vid. cit. Hiſt. Nat. Antli. Lib. I. cap. 12. art. 2. conf. du Tertre, qui cit. Tom. tr. VI. c. I. §. 2. p. m. 295. ita animal hoc deſcribet. *On nous en apporte quelquefois de l'Iſle de* Tobac, *& des Iſles voiſines, d'une autre ſorte, qui a une choſe bien remarquable, c'eſt un évent, ou un certain trou ſur les reins, dans lequel on pourroit aiſément fourrer le petit doigt, & qui penetre juſqu'au creux : ils reſpirent par cèt endroit, d'où vient qu'ils ont l'haleine plus forte, & durent davantage à la courſe, & font plus de peine aux chaſſeurs.*

 (*i*) Du

Officulum corporis extremum surditatem pellere, circulos verò seu pellis vincula, in pulverem redacta sudorem provocare & variolis mederi censent nonnulli. (*i*) III. *Agouty* seu *Acouty*, parvum animal. Corpore, agilitate & dentibus suis leporis; capite muris majoris domestici (vulgò Ratti;) pilis porcelli trimestris similitudinem referre traditur. Cauda brevis est & depilis. Calva & sunt crura posteriora, quorum pedibus sex eminent unguli, cum anteriores non nisi quatuor præferant. Aures præcisi & rotundi; color rufus, vel potius subaquilus. Cicurrari & ut posterioribus erectum pedibus incedat animal assuefieri facile potest. Anterioribus pedibus, instar sciuri nostri vel simiæ, cibum oblatum arripit & ori administrat. Quum venator canibus illud excitat & persequitur in arborum concava fugam capessit, unde fumô, postquam maximos clamores edidit, expellitur. Caro durior paululum feritatem sapit. Probant hanc aliqui, spernunt alii. IV. *Ospassum*,

(*i*) v. du Tertre, l.c. §. 5. p. m. 300. *Ximenés écrit, que les lames ou bandes, qui l'environnent, étant mises en poudre subtile, & prises plusieurs fois le pois d'un écu dans une coction de sauge provoquent la sueur, & sont un souverain remede contre la vérole: & que le dernier os qui la joint au corps, mis en poudre & en masse, avec un peu de vinaigre rosart, guerit comme par miracle la surdité, en mettant gros comme la teste d'une epingle de cette masse avec du coton dans l'oreille, & le sieur de Rochefort a mal entendu cet autheur, quand il a dit qu'il failoit mettre un petit os de sa queue dans l'oreille avec du coton, car cet os est 20 fois plus grand que le trou de l'oreille; quelques-uns lui donnent aussi la vertu du dictame* de Crete, *qui attire les épines ou fers de fléches des playes où elles sont ont cachées.*

(*k*) Vid.

ſum, Inſulanis Grenadenſibus *Manitoû*, Braſilienſibus *Carigueya* dicitur. Felis magnitudinem adæquat & ex parte etiam ſuperat. Pellis color ſubniger ex cinereo mixtus in dorſo, ſub ventre & collo autem ſubflavus. Superior maxilla inferiore brevior, qualem porcis eſſe videas. Cauda illi admodum longa, cujus dimida pars pilos habet extrema depilis eſt & incurva. Pullis & avibus ceu vulpes inſidiatur, deficiente præda, arborum fructibus veſcitur. Ungulis acutiſſimis gaudet, quibus in arbores ſumma celeritate adrepit. Dignum memoratu eſt, quod de animali hoc traditur, marſupium quaſi quoddam ſub ventre illud habere expanſum adeoque complicatum, ut non niſi digitis immiſſis explicari queat. In hoc fœtus receptos mas & fœmina alternis portant & pro lubitu apertô ſaccô in terram demittunt. Fœminam in loculo hôc ubera molli lanugine tecta habere, & dum progreditur, parvulis illa præbere recitant. V *Piloris*. Reſpectu figuræ non eſt, niſi mus major moſchicus; magnitudinem verò cuniculi penè legitur attingere. Receptaculum in ſubterraneis quærit caveis. Pellis ſub ventre alba, cæterum nigra vel ferruginea. Moſchum fortiter adeo redolet, ut eor affligat ejuſque haud difficile diſcerni poſſit refugium. (*k*) His addi liceat porcorum domeſticorum genus ab Hiſpanis olim,

 ſive

(*k*) Vid. citati autores.

(*l*) Vid.

sive Curlandorum aut Selandorum coloniis eò delatum. Integras horum greges jam Sylvas pervagari Monckius asserit. Præter Palumbos majores, Turtures, Perdices, Psittacos, innumeros alios Europæ incognitos alites TOBAGO Insulam alere constat. Mare, quô cingitur, piscibus diverversi generis maxime autem Testudinibus abundat. Reptilium & nsectarum innumeræ species. Scorpiones, Monckio teste, rari sed admodum virulenti. Arbores quoque frugiferi diversorum generum plures inveniuntur. Ast quia *du Tertre*, Rochefort, qui sub nomine *Novæ Walcheræ* TOBAGO Insulam descripsit, vaniloquentiæ accusat, quod plura, quæ de Antilibus in genere memorantur, ad illam transferat (*l*) singula recensere vereor, quæ ibi forte inveniantur, tum quod relationes de iis non conveniant inter se, cum quod nostrâ ætate colonis orbata & inculta non nisi Caribum venationibus & Anglicæ in Barbados insula coloniæ lignationibus, inserviat. Sunt, qui Ambram Auri Argentive fodinas, lapides Erythræos seu margaritas, aliasque gemmas in TOBAGO Insula inveniri per-

(*l*) Vid du Tertre Tom. II. tr. III. c. 2. §. 10. p. m. 244.. *Environ ce temps l'Isle de Tobago, scituée sous le onziéme degré seize minutes au Nord de la ligne Equinoctiale, que le sieur de Rochefort décrit sous le nom de nouvelle* Oüalcre *& à la quelle il attribuë avec des exagerations ridicules & fausses pour la pluspart, tout ce que j'ai dit de beau & de bon de toutes les Antilles de l'Amerique; fut prise par sept advanturiers Anglois.*

(*m*) v.

perhibent. De Antilibus plurimis id teſtatur prænominatus du Tertre; (*m*) Aſt de TOBAGO noſtra æquè iſtud non auſim affirmare. Cætera prolixius apud ſupra citatos ſcriptores relata leguntur.

(*m*) v. T. II. tr. II. c. 2 §. 1. 2. & 3.

CAPUT II.

§. (1) Tobago *inſula primò habitata fuit â Caraïbibus* (2) *Poſtea ab Anglis occupata fertur.* (3) *Deinde ad Curlandiæ Ducem jus in eam tranſiit,* (4) *qui Seelandis ſub recognitione certa habitandi partem ejus, facultatem largitus eſt.* (5) *Ab his Curlandorum Colonia, captivo apud Suecos Duce Jacobo, expulſa eſt.* (6) *Status Inſulæ ab anno* 1658 *ad* 1679, (7) *& porrò ab hoc anno ad* 1686. (8) *Quid in Anglia hujus Inſulæ gratia actum ſit refertur.*

§. 1. TOBAGO Inſulam, illô quô pernotuit tempore, â Caraïbibus ſeu Cannibalibus fuiſſe habitatam, nullum planè dubium eſt. Unde Caraïbûm gens orta ſit nomenve acceperit certò nec tradi poteſt nec hujus eſſe loci videtur. Deficiunt quoque monumenta apud gentem literarum planè ignaram, & quid traditioni-

tionibus unius alteriusque Senis ad nos permanârit alii memoriæ prodiderunt. (*a*) Id constat, *Ferdinandum Catholicum* Hispaniæ Regem & *Isabellam* Reginam, detecta Columbi studio anno 1493. *Americâ*, totum ejus tractum, Bullatæ donationis ab *Alexandro VI. Papâ* illis impertitæ titulô, sibi vindicasse, classibus petiisse, & ex parte sub potestatem redigisse, neglectis & â tergo relictis *Antilibus*. Galli Hispanos insatiabili avaritiâ & inexhausta auri corradendi cupidine ad metalli fodinarum *Peruvienſium* thesauros abreptos fuisse, &, tanquam oculorum lumine privatos, præteriisse *Antilles* insulas produnt. (*b*) Non inficias eo, Hispanos ab initio *Caraïbicarum* nullam aut levem certe curam habuisse : ast cum res suas in terra firma stabiliissent, alias occupasse, reliquas frequentasse, mihi persuadeo. Non diffiteor quoque naturales *Americæ*

(*a*) Vid. autor de l'Histoire, Naturelle, & Morale des Isles Antilles L. II. c. 7. 8. & seqq. quibus originem, habitum, mores &c. Caraïbum describit. it. Pater Ordinis Franciscani du Tertre T. II. de l'Histoire generale des Antilles habitées par le François, tr. VII. c. 1. §. 2. seqq. seu p. m. 360. seqq. conf. Rochefort in descriptione sua Insulæ TOBAGO.

(*b*) v. du Tertre T. I. Histor. Gen. Antil. parte. I. c. 1. p. m. 2. *Car* les Espagnols *ayant esté attirez au fonds du Perou par l'avidité insatiable de l'or & de l'argent, & d'ailleurs manquant de monde pour peupler tout ce vaste Pays, laisserent imprudemment derriere eux, comme une chose inutile, les Ant-Isles de l'Amerique, qui depuis servirent de retraitte & de logement â tous ceux qui s'enrichirent de leurs dépoüilles; & ces terres abandonnées, qu'ils nommoient par mépris* Kayes, *sont aujourd'hui si bien peuplées, & si bien fortifiées; qu'elles sont en état, non seulement de resister aux Espagnols, mais encore d'entreprendre la conqueste des riches Pays que cette Nation ambitieuse possede dans l'Amerique.*

ricæ incolas ex terra firma in Insulas adjacentes transvolasse, quo Hispanicam evitarent tyrannidem. Id seculi spatio plus dimidio fieri tutò potuisse, haud incredibile videtur. De re priori fidem faciunt nomina *Antilium* Insularum quoad maximam partem Hispanica. Hæc enim indicia esse non contemnenda conjicio, Hispanos non paucas Antilium sub potestatem misisse, in illis verò, quas *Caraïbes* tenebant, negotia tractasse, diversisque illas vernaculâ sua nominibus distinxisse. Si verum prædicat autor *Historiæ Naturalis Antilium*, loco supra citato, in TOBAGO Insula primum ab Hispanis repertam fuisse herbam *Nicotianam*, utique habitatam olim esse consequitur, siquidem herba non sua sponte crescit, sed seritur & plantatur. Et prout herba hæc originem debet Americæ, ita â priscis quoque ejus incolis in TOBAGO Insula plantari illam primâ vice Hispanos vidisse & didicisse postea arbitror. Hinc non iniquè colligitur, TOBAGO *Caraïbum* initio sedem fuisse. Utrum Hispani porro ibi coloniam constituerint, â nemine me relatum legisse memini. Id constat, aliarum Europæ gentium nullam ante seculi decimi sexti principium ad *Antiles* transiisse coloniam, quamvis privatos *Hollandærum*, *Anglorum* & *Gallorum* naves clam ac furtim, metu Hispanicæ forsan invidiæ, antè jam in Americanis oris mercaturam fecerint.

§. II. 1. Ab initio autem seculi prædicti decimi sexti *Hollandorum* colonia Regionem vulgò dictam *Novam Belgicam* occupavit, Angli anno 1606. & sequenti in tractus *Terræ Firmæ* Septentrionalis, cui â *Virgine* nomen; anno 1612. in *Baramudos* Insulæ; & anno 1620. in *Novæ Angliæ* &c. possessionem irruerunt. (*c*) Anno 1627. *Barbados* Insulam *Caraïbicam*, exstructo munimento forti, suæ potestati asseruêrunt; eôdem cum Gallis simul Insulam, cui â *S. Christophoro* nomen, partiti sunt. Duces coloniarum fuêre Dominus *d'Enambuc*, ex domo Normandica *de Drocques* natu minor, Gallus; & *Thomas Warner*, eques & navis præfectus, Anglus. Utrique Rex suus & Princeps, Insulas Antiles âb undecimo gradu Æquatoris ad decimum octavum latitudinis & ultra occupandi, possidendi, & excolendi licentiam, publico diplomate, largitus est. (*d*) Multi quidem *Antilium* Insularum Historiographi acquisitas in *Caraïbicis* ab Anglis, Gallis, Hollandisve terras annotârunt; nullus verò, quem legendi hactenus facultas fuit, TOBAGO nostram, â quâvis harum gentium sub potestatem fuisse redactam memoriæ prodidit. Enim verò, cum anno 1698. *Baro de Blumberg* Celsitudinis suæ, Ducis Curlandiæ Sereniſſimi, no-

(*c*) V. de Bleau Theatri Mundi, seu Atlantis sui P. II. sect. II. in Americæ Tabulis earumquè descriptione.

(*d*) Vid. du Tertre T. & P. cit. c. 1. §. 1. 2. 3. seqq.

(*e*) V.

nom:ne Coloniam novam ad TOBAGO Insulam, juxta contractus, anno 1664. Sereniſſimum ac Potentiſſimum Magnæ Britanniæ Regem *Carolum II.* inter, & Celſiſſimum Curlandiæ Ducem *Jacobum*, initi normam in Anglia erigere operam enixè navaret, ac ipſe tali poteſtate â Sereniſſimi ac Celſiſſimi Ducis minorennis Celſiſſimo patruele, Tutore, ac Ducatuum Adminiſtratore præditus, ſub finem anni ſequentis cum eadem Societate contractum ſcripto, ad ratificationem uſque Principis ac Domini mei Clementiſſimi, conciperem, perficerem & ſignarem, commerciorum Sacræ Regiæ Majeſtatis Britannicæ conſiliarii, in demonſtratione d. 28. Mart. anno 1700. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi *Wilhelmo III.* ſcripto exhibitâ (quâ nullum amplius Celſiſſimæ Domui Curlandicæ jus in Inſulam competere putant) præter alia, anno 1626. â prænominaro *Thoma Warner* TOBAGO noſtram primò Coronæ Anglicæ vindicatam fuiſſe contendunt, prout in exemplari hujus ſub Lit. L. p. 72. ſeq: annexo legere eſt. Unde hæc hauſerint præfati Conſiliarii vel Commiſſarii me latere fateor. Miror etiam magnoperè nihil penitùs hâc de re geſta apud alios *rerum Americanarum* ſcriptores relatum legi, cum tamen omnes ferè reliquas ab Anglis occupatas inſulas recenſeant & coloniam quoque ab illis in *Barbados* non admodum â TOBAGO noſtrâ remotam anno 1626. deductam me-

morent (*e*) Fidem aſt derogare commerciorum Commiſſariis hiſce vereor, utpote quos rerum ab Anglorum gente in illis oris geſtarum gnaros eſſe decet; nihilominus quia, quod pace illorum liceat dicere, id potiſſimum eô tempore agebatur, ut vel probabiliter tantum pernoteſceret, quâ ratione quove modo jus ad inſulam TOBAGO Celſiſſimæ Domui Curlandicæ partum fuit, contrariis illos ſtudiis abreptos verum occupatæ hujus inſulæ tempus reticuiſſe aliudque ſuppoſuiſſe arbitror, quò ſcilicet *Jacobi I. M. B. Regis* donatio ejus inſulæ, *Jacobo Duci Curlandiæ* impertita, faciliùs deſtrui poſſit.

§. III. Dantur quidem nonnulli, qui â Comite *de Warwick* emptam atque alii iterum pro deſertâ, juxta gentium cæterarum morem, â navibus Suæ Celſitudinis Domini Ducis *Jacobi* habitam, occupatam, & plenæ dominationi Curlandicæ vindicatam fuiſſe TOBAGO dictam recitant; (*f*) & utinam ſententiæ hujus proferri poſſent rationes dignæ ut videantur, atque nullus dubito, majorem Celſiſſimæ Domûs Curlandicæ juri ad hanc inſulam vim acceſſuram fore: Sed *Pointzii* navis quondam Anglicæ præfecti magis arrident dictata. Is â Sereniſſimo ac Potentiſſimo M. B. Rege *Jacobo I. Jacobo* Duci Curlandiæ, cui primùm nato & ſacro baptiſmatis fonte initiando fidei ſponſor extiterat, arrabonem quaſi amoris, præfatam TOBAGO

(*e*) v. Bleau in deſcriptione Tabgen. America.

(*f*) v. Bern. Conner in the Hiſtory of Poland Vol. II. Ep. X. p. m. 166.

BAGO donatam & abs hoc primam illi impoſitam fuiſſe coloniam mihi memoravit. Hanc in Curlandia etiam vigere ſententiam ſæpiſſimè percepi. Etſi igitur neſciam, utrum tale donationis inſtrumentum in Archivo Ducali reperiatur nec ne, ſequentes tamen ſatisfacere videntur circumſtantiæ. (1) Commerciorum in Anglia Conſiliarios vel Commiſſarios hujus non fuiſſe ignaros donationis vel exinde intelligi poteſt, quod *Pointzio* demandarint, ut illos de TOBAGO *inſulæ ſtatu & viciſſitudine, a primâ Regis* Jacobi I. Jacobo *Duci Curlandiæ impertitâ Conceſſione* NB. *ad hoc uſque tempus, quam primùm poſſet, inſtrueret*, ſicuti ex horum mandatorum exemplis *Anglicis*, quæ *Londini* nactus ſum & heic (*g*) ſubjunxi, apparet. (2) Conſtat inter omnes, â *Jacobo* Duce Curlandiæ coloniam in TOBAGO Inſula primam fuiſſe conſtitutam, neque ulla alia cujuſcunque gentis, (exceptâ fortè *Hiſpanica*, de quâ dubito) relata vel prodita legitur. Quare & *Autor*

(g) (1) *Sir. The Lords Comiſſioners for Trade and Plantations have commanded me to let you know, that they deſire to ſpeak with you on Tuesday morning next at thenn of the Clocke. Jam Sir your humble ſervant.* W. Poppel. Withal Novembr. 3. 1699. (2) *Capt.* Poyntz *is deſired to inform the board what he knows of the Iſland of* TOBAGO, *from the firſt grand of King* James the firſt, *to* James Duke of Courland, *until this teime*, (*as particularly as he kan*) *when any change therin happened.* Hoc mandatum Pointzio, prout deſiderarat, ſcripto expreſſum, die 8. Novemb. datum fuit. (3) *Sir. The Lords Commiſſioners for Trade and Plantations being preſent for diſpatch in the matter that lye befor them, relating to the Iſland of* TOBAGO, *they have commanded me to deſire you, to let them know your anſwer, to the note delivred you the* 8. *inſtant, to morrow morning if poſſible, other, wiſe as ſoon as ever you kan. Jam Sir your humble ſervant.* ſubſcriptum erat. *Wm. Poppel.*

Historiæ Piratarum Americæ nullius nisi *Curlandicæ*, *tanquam omnium primæ*, ibidem loci meminit (*h*) (2) Ab Angliæ Regno vel donationis, vel quocunque alio titulo, Celsissimæ Domui Curlandicæ cessam & traditam fuisse TOBAGO, ex *Cromwelli* Protectoris datæ confirmationis & signatæ anno 1652. instrumento elucere potest, quod hûc usque in Grammato-phylaceo Celsissimi reservatur. Nihil verò confirmatur, quod antecedenti juris titulo caret. (3) Renovatum Celsissimo Duci jus fuit, per contractum anno 1664. cum Sereniſſimo ac Potentissimo M. Britanniæ Rege Carolo II. factum. (4) Ipsa dicti Regis Caroli II. Majestas in literis anno 1671. die 16. Maii mensis, ad Præpotentes Belgii confœderati Ordines exaratis, Celsissimo Duci Curlandiæ in TOBAGO insulam prætensionem. *& per contractum cum sua Majestate initum*, *& per jus præcedens aliud*, competere testatur, prout ex exemplo sub lit B. annexo harum cognosci potest. Patet igitur Celsissimam Domum Curlandiæ jus antiquum ad sæpius nominatam Insulam habuisse ejusque excolendæ gratiâ coloniam eò misisse.

§. IV. Duas ex Curlandia ad TOBAGO Insulam profectas memini colonias, quæ parem ferè sortem nactæ

(*h*) Hic liber scriptus â *I. Esquemeling* natione Gallo, & lingua Belgica editus est anno 1680. Sequenti in Hispanicam illum transtulit. *Alphonsus de Buena Meson*, Medicus Amstelodamensis. Verba hæc extant in Appendice p. m. 321. *A todo el Mundo le consta, que el Principe de Courlant comencò á establecer una Colonia en la* Isla de TOBAGO.

nactæ sunt. Causa non eadem fuit, ceu ex sequentibus colligere est. Prima expeditio suscepta est circa annum 1642. & sequentem. Res tunc suas constabilivêre Curlandi, exstructô & oppositô Caribum excursionibus munimentô, cui a Celsissimo Duce *Jacobo* nomen fuit. Atque ad hanc respiciunt Autoris *Historiæ Piraticæ Americanæ* verba præmissa. Haud ita multò post Selandorum naves aliquot ad Insulam appulêrunt & commorandi ibi, partemque agrorum sub levi in recognitionis legitimæ locum penso possidendi facultatem obtinuerunt. Ab illo tempore TOBAGO Insulæ historia vagari cæpit & confundi. Scriptor Historiæ Piraticæ Americanæ anno demum 1654. autoribus *Adriano & Cornelio Lampsinii* Selandis, Præpotentum Belgii confœdetati Ordinum concessione munitis, primam coloniam in Tobago nostrâ institutam contendit. (*i*) Sed fallitur. Rectius enim autor *Historiæ Naturalis & Moralis* Antilium jam illô, quod designavimus modò, tempore, Selandorum societatem aliquam ibi habitasse memorat. Curlandicam,

(*I*) v. l. c. ubi modo allegatis hæc subnectuntur: *y que en poco tiempo (por falta de socorros) sus gentes la abandonaron, dexandola al primer ocupante, que fueron los Sennores* Adrian, *y* Cornelio Lampsins, *naturales de la Ciudad de Flesinga en la Provincia de Zelanda; los quales, haviendo llegado allà & anno de* 1654. *procuraron fortificarla, por mandado de sus Soberanos Estados: con que dispusieron la fabrica de un Castillo, capaz de impedir los asaltos de qualesquieraenemigo s.*

(*k*) V.

cam, vel quod ignoraret illam, vel ut Selandis assentaretur, planè præteriit. Verè autem direptâ â Caraïbibus priori Coloniâ, aliam anno 1654. in Insula nostrâ constitutam â Lampsiniis refert. (*k*) Sunt, qui Curlandos Insulam adhuc anno 1658. habitasse testari queunt. Nam minister verbi divini, nomine Engelbrechtius, eôdem tempore in dicta Insula commoratus est; rediit postea in Curlandiam, ubi pastor Neugutensis Ecclesiæ constitutus inter filios illum genuit, qui nunc secretarii munere apud Sereniſſimam Vestræ Celsitudinis Matrem fungitur, & de hâc re testimonium perhibere poterit.

§. V. Quum verò Celsiſſimus beatæ memoriæ Dux Curlandiæ *Jacobus*, Vestræ Celsitudinis avus, exortò inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Poloniarum & Sueciæ Reges bellô, ab hujus copiarum Duce *Duglaſſio* captivus *Narvam* anno 1658. die 30. Septembris cum Sereniſſima & liberis abduceretur, utendum hâc occasione rati Lampsinii, munimentum dictum Jacobi injusta vi aggressi sunt. Fortiter hostem represit præsidium, leve licet esset, Curlandicum. Extrema quævis minabantur Selandi; Ducem ac Principem

(*k*) V. L. I. c. 2. art. I. p. m. 8. ubi ita: *Une Compagnie de Bourgeois de l'Ile d'Oualcre en Zelande, y avoit fait passer deux cens hommes il y a environ seize ans, pour y établir une colonie, sous les auspices de Messieurs les Estats des Provinces Unies, & avoient nommé l'Ile*, la Nouvelle Oüalcre *Mais les Indiens Caraïbes habitans naturels du Pays, redoutant le voisinage de*

pem illorum apud Suecos degere captivum nullo illis auxilio fore nec esse posse prædicabant, victûs tandem inopiâ oppressum vel Caribum crudelitati objectum iri præsidium asseverabant. Renuebat deditionem præfectus fortalitii Curlandicus; ast, in carceres conjectus â militibus & præsidiariis suis, de loci tandem deditione facienda agere, cogebatur. Fertur, *Lampsinos* castellum cum omni suppellectile, juxta inventarii inde facti tenorem simul ac Celsitudo sua Dominus Dux *Jacobus* in integrum restitutus foret, reddituros se pollicitos esse. Fidem vero, ut ex sequentibus apparet, neutiquam servarunt.

§. 6. Celsissimus Curlandiæ Dux, pace Olivensi anno 1660. die 9. Aprilis concluså, Narvâ in di-

 tiones

de ces étrangers, en massacrerent une partie, ce qui obligea les autres, qui étoient travaillez de maladies, & qui apprehendoient un pareil traittement que leurs Compagnons, à se retirer ailleurs. De sorte, que cette terre a esté long temps destituée d'habitans, qui y fussent fermement arrêtez: & n'étoit frequentée que des Caraibes, qui y descendoient en allant & en retournant de leurs guerres, pour y prendre les rafraichissemens qui leur étoient necessaires, & de quelques François des Iles de la Martinique, & de la Guadeloupe, qui y alloient faire peſche de Lamantin, & tourner la Tortuë en quelque saison de l'année. Mais à present, les Zelandois s'y sont rétablis: & il y a environ trois ans que Monsieur Lampsen, Ancien Bourgemaistre de la Ville de Flessingue, & Deputé de sa Province en l'Assemblée de Messieurs les Etats Generaux, a pris à cœur de peupler de nouveau cette Ile. Il y a déja fait passer dans ses propres vaisseaux, plusieurs braves hommes, qui travaillent à la défricher, & qui secondent les genereux desseins qu'il a, de relever glorieusement les ruines de la Colonie, que ses Compatriotes y avoient dressée.

 (*l*) vid.

tiones & Ducatus suos redux, restitutionem TOBAGO Insulæ, non paucis literis & misso quoque eâ propter Hagam Comitis legato, cujus nomen non succurrit, a Præpotentibus Belgii Confœderati Ordinibus & Lampsiniis quidem repetiit postulavitque impetrare verò non potuit. Sacram Regiam Magnæ Britanniæ Majestatem igitur adiit, & mutuô contractû desuper die 17. Nov. anno 1664. initô, Majestati suæ jus in *S. Andreæ* munimentum, aliaque in Guinea ad *Gambiam* fluvium propugnacula ad suam Celsitudinem spectantia, cessit ac transtulit. Serenissimus ac Potentissimus M. B. Rex *Carolus II.* autem plenam Commercii libertatem pro quibuslibet mercibus, valorem duodecim mille librarum monetæ Anglicæ valorem secundum pretium quô emptæ fuerint non excedentibus, in Guineæ Anglicæ orâ exercendam, dedit, donavit & concessit. Dedit, donavit & concessit quoque de novo quasi Celsissimo Duci Jacobo TOBAGO Insulam, sub Protectione Regia tuendam, hâc adjecta conditione, ne sua Celsitudo alios, præter Regiæ suæ Majestatis atque proprios suos subditos Curlandos habitare, possidere vel excolere illam pateretur, & ut bellô inter Regiam Suam Majestatem atque alium quendam Principem aut Statum (exceptô Rege Poloniæ) exorto, navem bellicam quadraginta tormentis ferreis instructam

ctam, absque Præfecto tamen, nautis, cibariis, vel stipendiis, â sua Majestate procurandis, daret & ad designatam stationem adduceret, *quotiescunque dictus Rex, Hæredes ac Successores sui postulaverint*, ita tamen, ut dicta navis hæc, unâ vice, ultra unius anni terminum in servitio suæ Majestatis permanere non teneatur, sicuti in copiâ hujus contractûs, sub Lit. A. annexa, prolixius legere est. Prænominatum *St. Andreæ* in Guinea munimentum quidem anno 1661. jam Hollandis Angli eripuerant, ast neminem fugit legitimum ejus Dominum & conditorem Celsissimum Ducem Curlandiæ *Jacobum* antea extitisse, illius autem possessione, pendente bello Sueco-Polonico injuste ab Hollandis, quibus cum nulla dicto Duci lis erat, exutum fuisse. Igitur prædictô tandem contractu jus Celsissimo Duci *Jacobo* competens, in se transferri S. Regia M. B. Majestas curavit, quô justior, prout conjicio, loci pacis tempore occupati titulus Angliæ foret. De TOBAGO discerni perspicuè non potest, utrum illo, quô contractus iste perfectus est, tempore *Lampsinii* illam adhuc possederint, vel an Insula pulsis istis sub Anglorum potestate fuerit. Sereniſſimi ac Potentissimi Regis Caroli II. quidem literis, quas pro restituenda Celsissimo Duci Curlandiæ *Jacobo* insula TOBAGO ad Præpotentes Belgii Confœderati Ordines

d. 16. Maii 1671. ſcripſit, in principio ſtatim patet, ante ultimum Bellum à Sua Majeſtate Occidentalis Indiæ Inſulam, ad Ducem Curlandiæ tranſlatam eſſe, quem de illâ ſecurum, poſſeſſionem ejus non capere, uti debebat, properaſſe: Superveniente autem bello, quamvis ſubditi ſuæ Majeſtatis ibi extiterint, ſubditos Præpotentûm Ordinum quosdam Inſulam occupaſſe, etſi revera ad Ducem Curlandiæ & per Contractus reales & jus præcedens aliquod pertinentem.)*l*) Ante bellum igitur, quod ſub initium anni 1666. inter M. B. Regem & Confœderatos Belgii Ordines exortum eſt, Anglicæ gentis coloniam aliquam TOBAGO noſtram tenuiſſe ex verbis Regiis præmiſſis conjicere licet. Quando autem ibi inſtituta, vel qualis quantaque fuerit, clare ſatis non exprimitur. iS citato ſæpius autori, *du Tertre*, fides eſt, adhuc anno 1665. Curlandicam hanc Inſulam *Lampſinorum* gentem uſurpatam eſſe & Gubernatorem *de Bevern* fuiſſe apparet. Aſt illo ipſo anno Anglorum nonnullos duobus navigiis ſpeculatoriis & mediocribus totidem naviculis ad inſulam appulſos propugnaculum, conjecto in vincula Gubernatore, aurifabro, expugnaſſe ac Inſulam, ſpoliatis incolis Belgicis, ſub Poteſtatem redegiſſe memorat. (*m*) An-

(*l*) vid. in annexis ſub Lit. B.

(*m*) vid.

(*m*) Anglos idem a militum Gubernatoris Gallici in *Grenada* Insula, *Monsieur Vincent* nominati, exigua valde manu, expugnato stratagemate castello, anno 1666. sub finem Augusti mensis illâ deturbatos, ac ipsam Insulam â Gallis mense Martio anni 1667 immisso igne derelictam iterum fuisse recitat. (*n*) Eodem

 anno

(*m*) vid du Tertre Tom. III. Hist. gent. Antil. Traité. I. c. II. §. 10. *Environ ce temps la l'Isle de* Tobago *fut prise par sept advanturiers Anglois, arrivez en ce lieu dans deux fregates & deux barques mediocres. Cette Isle étoit au rapport de ce même Auteur des l'an* 1655. *munie de trois forteresses dont il y en avoit deux presque imprenables, & habitée par douze mille habitans. Il est vrai qu'elle n'étoit plus gouvernée par le brave Gntilhomme nommé de Beveren, auquel il donne tant de beaux éloges; mais par un Orfevre, qui sçavoit mieux batre l'or sur une enclume, que les ennemis a coups d'épée, de mousquets, & de Canons. Ce brave Commandant (car la haute puissance des Estats ne les appelle pas Gouverneurs) étoit dans un bon fort, où il y avoit douze pieces de canon avec* 150. *Soldats, sans les habitans desquels il pouvoit être secouru, s'il eust fait un peu de resistance: mais il se contenta d'une composition des Anglois qui le prirent prisonnier de guerre, & accorderent aux habitans de demeurer dans l'Isle, à condition de prester le serment de fidelité a Sa Majesté Britannique. Mais aprés que les Anglois eurent mis une bonne garnison dans le Fort ils se moquerent de la capitulation, pillerent tous les habitans, & envoyerent a deux diverses fois à la Martinique, touts les François qu'ils trouverent dans l'Isle de* Tobac, *sans en avoir averti ni pris aucun ordre du Gouverneur; comme ils le devoient faire.*

(n) Vid. cit. Hist. gen. Antil. Tom. IV. Trait. II. c. 3. p. m. 165. seqq. Verba autoris Gallico Sermone sequentia habentur: *Peu de tems avant l'arrivée de Monsieur de la Barre dans les Isles, Monsieur Vincent, Gouverneur de l'Isle de la Grenade, qui estoit la plus foible quoy que la meilleure de toutes les Isles habitées par les François; fit une entreprise sur l'Isle de Tobago, que les Anglois avoient conquise depuis environ un an sur les Hollandois, & y avoient laissé une garnison d'environ* 50. *hommes aprés l'avoir entierement pillée, comme j'ay dit dans ma troisiéme partie. Ce Gouverneur apprenant touts les bons succès de nos princi-*

 pales

anno menſe julio pax in Bredana urbe inter Reges Galliæ & Magnæ Britanniæ Generaleſque Belgii Confœderati Ordines conſtituta eſt, cujus juxta tenorem articulo XII. Inſulas reciprocè durante belli fulmine expugnatas, eſſe reſtituendas cavetur. Haud cognitum certò habeo, utrum Angli poſt pacem Bredanenſem amiſſam TOBAGO Inſulæ poſſeſſionem recuperaverint an non. Seculi quidem ſuperioris annales & Anglici præprimis anno 1668 Anglorum familias quaſdam ibidem commoratas eſſe memorant; aſt illorum nimium adeo fidei tribuendum mihi non videtur. Id autem non ignoro, anno 1670. Hollan-

pales Iſles Françoiſes, voulut auſſi tenter de cueillir quelques unes des palmes & des lauriers dont nos François ſe couronnoient de toutes parts dans nos Ant-Iſles. Il ſe ſervit a cet effet de la barque d'un nomme Gilles Gaspart, qui eſtoit dans ſon Havre ſur la fin d'Aouſt 1666. Il y fit embarquer un Officier, dont je n'ay pû apprendre le nom, avec 25. braves volontiers de ſon Iſle, bien armez, avec des munitions & deux Tambours. Il les envoya à l'Iſle de Tobago tenter fortune, & voir s'il n'y avoit point moyen d'en dénicher les Anglois. Ils arriverent heureuſement ſans eſtre découverts, & mirent pied à terre dans un qurtier nommé l'Ance de Courland, & laiſſant dans leur barque neuf de leurs hommes avec l'equipage pour la garder, l'Officier avec 15. hommes & un Tambour, marcherent vers le fort, & ſur le declin du jour, ils arriverent à la belle ſucrerie du Sr. Lampſinque qui étoit le Seigneur de cette Iſle, lorſqu'elle appartenoit aux Hollandois. Ils avoient conſervé cette place, pour en tirer des vivres, & y faire des eaux de vie de canne; & quoi qu'elle ne fut qu'a une portée de fuſil du fort, & il y avoit néanmoins un corps de garde de quinze hommes. Noſtre petite troupe fut diviſée en chemin par une force pluye qui en fit arreſter une partie dans une maiſon pour remétre leurs armes en état; de ſorte qu'ils ne ſe trouverent que ſept pour forcer ce corps de garde. Ils tuerent d'abord la ſentinelle, mais ne s'étant pas apperceû qu'il y avoit deux portes à cette maiſon, les quatorze

An-

landos, vel potius *Lampſinorum* coloniam aliquam, agros Inſulæ quosdam plantaſſe ac coluiſſe. Quum vero Celſiſſimus Curlandiæ Dux *Jacobus* per *Henricum Nomber* & *N. Volckershofen* â Celſiſſimis ac Præpotentibus Belgii Confœderati Ordinibus Generalibus Inſulæ uſurpationi ipſorum ſubditorum tum temporis obnoxiæ reſtitutionem peteret, Sacra Regia Majeſtas, litteris ſupra citatis & in annexis ſub Lit. B. expreſſis, Generalibus Belgii Confœderati Statibus cauſam Celſiſſimæ Domus Curlandiæ commendavit. Petitum Cur-

Anglois ſans faire aucune reſiſtance, s'enfuyrent vers le fort, & y donnerent l'alarme. Le lendemain à la pointe du jour, l'Officier fit batre la dianne par les deux Tambours & en envoya un ſommer le Commandant de ſe rendre à l'armée Françoiſe ſans aucun delay, parce que s'ils ne le faiſoient, que l'on les alloit forcer ſur le champ & qu'on ne donneroit point de quartier; parce que l'armée Françoiſe qui eſtoit à cinquante pas de là, ayant d'autres entrepriſes plus conſiderables à faire, elle ne ſe vouloit point arreſter dans cette Iſle, & que les navires étoient a l'autre coté de l'Iſle qui n'attendoient que leur retour pour faire voile. Le tambour, qui étoit un galant homme qui meritoit un autre employ que de battre la caiſſe, s'y en alla; & contre les formes de la guerre s'approcha de la porte avec ſon fuſil ſur ſon épaule, il le mit aupres de lui, batit la chamade, & fit ſon appel. Le Commandant fut aſſez ſot, pour venir en perſonne, ſans autres armes que ſon épée, recevoir la ſommation du Tambour, qui la lui fit avec fierté & reſolution. Le Commandant aprés lui avoir donné un oſtage afin d'avoir du temps pour capituler, il demande au Tambour où étoit cette armée Françoiſe: le Tambour lui repartit, qu'elle étoit à cinquante pas de là, & que s'il vouloit venir ſur une petite éminence voiſine, qu'il la pourroit voir. Le Commandant continuant ſa premiere ſotiſe accompagna le Tambour ſur cette hauteur, d'où il lui fit voir l'Officier & ſes quatorze volontaires, ſous des bannieres touts preſts à bien faire; & luy dit, la voila. Le pauvre Commandant ſe voyant duppé, voulut reprendre le chemin de ſon fort: le Tambour changeant auſſi-tôt de figure, jetta ſa caiſſe par terre, & lui appliquant le bout du fuſil ſur

Curlandicum Præpotentum Ordinum declaratio, seu interdictum circa annum 1701. & 1702. secutum fuisse constat, quô *Lampsiniis* ab omni Insulæ TOBAGO usurpatione abstinendum esse præcipitur. Hujus interdicti exemplar meis quidem non teritur manibus, in Archivo autem Vestræ Celsitudinis illud inveniri relatum accepi, & Cartophilaceo etiam Celsissimorum ac Præpotentum Belgii Confœderati Ordinum idem insertum fuisse, sunt qui testari queunt. Ast mandato huic Ordinum Generalium nulla â *Lampsiniis* præstita fuit obedientia. Nam anno 1672. denuo colonos suos ad Insulam nostram transvexêrunt, qui tamen sequenti iterum ab Anglis expulsi memorantur. Hinc *Lampsinii*, prævidentes forte, quietam Insulæ dictæ possessionem nunquam ipsis relictum iri, postmodum, anno nempe 1676. die decimo nono Maji mensis, illam Consilio maritimo Confœderati Belgii, (vulgo Amirautè,) quod Amstelodami est, pro triginta florenorum mone-

sur le ventre, lui dit qu'il étoit mort s'il ne lui rendoit son épée : Il fut promptement obéy, & ce Commandant fut fait prisonnier de guerre. Se voyant pris, il demanda d'aller dire à la garnison qu'elle se rendist aux François; mais il y fut accompagné de toute la bande qui le tenoit seurement gardé. Le Tambour qui marchoit devant, s'approcha de la sentinelle, & l'ayant couché en joü, lui fit mettre les armes bas. L'Officier & ses gens entrerent dans le fort, & tous les Anglois, qui étoient sous les armes, croyant que ce fut une partie des troupes qui venoit prendre possession, donnereni toutes leurs armes au Tambour, qui les faisoit renger les uns après les autres dans un petit coin du fort. Ainsi cette petite troupe s'empara du fort de Tobago qui étoit capa-

monetæ Belgicæ millibus vendiderunt, hâc insertâ contractui clausulâ, emptoribus non examinandum esse, quo jure quove titulo *Lampsinii* Insulam TOBAGO possidere perhibeant, prout legi potest prolixius in Contractûs dicti exemplo, heïc adjectô sub Lit. K. Consilium illud Maritimum Amstelodamense igitur *Jacobo Binckes*, classis navibus bellicis septem constantis præfecto, â Celsissimis ac Præpotentibus Belgii Confœderati Ordinibus ad recuperandam Insulam *Cayanam*, quam Galli occupaverant, misso copiam dederat, insulam TOBAGO, Consilii ejusdem nomine, simul occupandi, eamque muniendi ac adversus quoscunque defendendi. Præstitit hæc optimè prænominatus *Jacobus Binckes*; Ast Franciæ Regis præfectus maritimus Dominus *d'Estrès* illum Octobri mense secutus, cum *Cayanæ* Insulæ amissæ recipiendæ, tum TOBAGO Insulâ exterminandæ Hollandicæ Coloniæ gratiâ, *Cayanam* recepit quidem, cæterum prælio maritimo commisso, parum quoque commodi lucratus est, relictâ nimirum *Jacobo Binckes* victoriæ famâ & gloria. Redux autem Gallus ad Portum Brivatum (vulgo *Brest*) die 21. Julii anni sequentis 1677. & auctus octo navibus majoribus totidemque minoribus

d

capable de soutenir un siége, y firent cinquante prisonniers de guerre, prirent tous les canons, plusieurs belles & bonnes armes de toutes façons, chargerent leurs barques, & s'en revinrent avec les prisonniers & le butin. M. Vincent y entretint une petite garnison jusqu'au mois de Mars de l'année 1667. & en la retirant, il fit mettre le feu par tout.

bus, Insulæ TOBAGO munimenti, dicti alias de *Sterreschans*, oppugnationem eodem die 12. Decembris redintegravit, & immisso in armamentarium bombæ globo prænominatum *Jacobum Binckes* cum maxima turba in auras ablegavit. Plenius hæc Autor Historiæ Piraticæ Americanæ in appendice suâ pag. m. 322. seqq. retulit, cujus integra verba hîc subjicienda curavi. (o) Ex iisdem liquet, Dominum *d'Estres*,

(o) Verba Hispanica hæc habentur: *Lo mismo succedió el anno de 1676. quando los Altos y Poderosos Estados de Holanda embiaron al Comandante* Jacob Binckes *à la Isla de* Cayana, *que por entonces estava en posseſſion de Franceses, para que la restituyesen al Imperio de dichos Sennores Estados. Salió con estas ordenes el dia 16. de Março del dicho anno, consistiendo su flota en siete navios de guerra, y un Brulote, con otros cinco de menores fuerças, y llegaron à la dicha Isla el quarto dia de Mayo siguiente, donde* Binkes *echó 900. hombres en tierra, que se acercaron de la Fortaleza, anunciando al Governador de ella se rindiesse: respondió no le passava por la imaginacion tal cosa, antes determinava pelear hasta que muriese, y con el toda su gente.* Binkes, *quando huvo entendido la respuesta, mandó à sus tropas, dar un attaque por dos lados al Castillo: dioſe un considerable combate; pero los Franceses, estando pocos, y atosigados de tanto número, rindieron las armas y el Castillo. Hallaronse dentro 37. pieças de artilleria, y el Governador llamado* Lesi, *con dos Sacerdotes fueron embiados à Holanda.* Binckes, *en la Batalla tuvo 14. de los suyos muertos, y 72. heridos. El Rey de Francia, luego que entendió este succeſſo, embió por el Mes de Octubre siguiente a Monsieur de* Estrés, *para bolver à tomar la dicha Isla. Llegò por el Mes de Diziembre con su escuadra de navios de guerra, bien armados, y proveidos: pero como viniese hasta la rivera llamada* Aperovaco *encontraron un navichuelo de* Nantes, *que no havia que quinze dias era partido de la dicha Isla, el qual dió noticia de el estado, y circunstancias con que en ella se hallavan los Holandeses. Dixo havia en el Castillo 300. hombres; que todo al rededor de el hincaron buenas palizadas, y dentro estavan asestadas 26. pieças de artilleria.*

d'Eſtrés, Caſtello aliisque in hâc Inſulâ ædificiis incenſis, dirutis, deſtructisque, die 27. Decemb. vela pandiſſe, & cum claſſe ſua in Galliam remigraſſe. Etſi igitur Galli vicibus duabus Tobago noſtram occupaverint, poſſeſſionem ejus tamen non ſuſtinuiſſe aut conſervaſſe, imo ne animum quidem conſervandi habuiſſe illos, ex relatis ſupra circumſtantiis abundè concipi & intelligi poteſt. Ne hominem enim præfatus *d'Eſtrés* in Inſula collocavit, quin potius omnibus colonis orbatam ac deſertam illam reliquit, in

 quô

leria. Monſieur de Eſtrés *pudiendo tomar reſoluciones, y medidas ſobre tales advertencias, proſiguió el viage y llegó a un puerto de la dicha Iſla, lexos del Caſtillo, coſa de tres leguas: alli echó en tierra* 800. *hombres, que ſeparó; y la una parte puſo debaxo de la direccion del Conde de* Blinac, *y la otra de Monſieur de* St. Faucher; *dexando à Monſieur* Gabaret *con las otras tropas principales en los navios; los quales levantaron àncora, y poco à poco ſe acercaron del Caſtillo, mientras los que ivan por tierra hazian lo miſmo; ſiendoles forçoſo caminar de noche, à cauſa del gran calor, y porque es inſuffrible la exalation que la tierra deſpide, que es notablemente ſulphúrea, y por conſiguiente un horno hediondo. El dia* 19. *del dicho Mes,* Monſieur de Eſtrés *embio à Monſieur de* Leſi (*que havia ſido alli Governador como dicho es*) *pidiendo ſe rindieſſe el Caſtillo à la ubediencia del Rey ſu Sennor, y à el en ſu nombre: los que dentro eſtavan, no quiriendo entender tal propoſicion, reſolvieron de no entregarſe, que acoſta de ſu ſangre y vidas: y aſſi, la noche ſiguiente dieron los Franceſes attaque por ſiete lados, todos à un miſmo tiempo. Los defenſores viendo que havian hecho ſu obligacion y peleado con valor quanto les fué poſſible, ſe rindieron. Halaronſe dentro* 38. *hombres muertos, algunos heridos, y embiaron todos los priſſioneros à Francia, donde fueron tratados con hartos trabaxos. Puſo todos las coſas en orden* Monſieur de Eſtrés *en la Iſla de* Cayana, *y ſe fué à la de* Martinica, *donde luego que huvo llegado, le dixeron, como el Comandante* Binkes, *ſe hallava en la Iſla de* Tobago *y ſu flota ancorada en la Baïa. Salió* Eſtrés *de re-*

 freſco

quô ſtatu etiam ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum Octogeſimum permanſit.

§. 7. Pace autem Neomagi anno 1679. inter belligerantes Reges, Principes ac Status, medio exiſtente Sereniſſimo ac Potentiſſimo M. B. Rege *Carolo II.* peractâ, Celſiſſimus Curlandiæ Dux *Jacobus* de recuperanda iterum Inſula ſua TOBAGO ac reſtauranda ibi colonia conſilium, cepit & de hoc propoſito Sacram Magnæ Regis Britanniæ Majeſtatem confeſtim per Reſidentem ſuum *Abrahamum Marinum* certiorem fieri curavit. Comprobavit Sacra Regia Majeſtas hoc Celſiſſimi Ducis inſtitutum literasque ad Gubernatorem Inſulæ Barbados *Jonathan Atkins* die 19. Jan: anno 16⅞. clementiſſimè dari curavit, per quas Cel-

freſco y començandoſe à accarcar de Tobago, Binkes *embió ſus Compannias, con un número de Marineros à tierra, para guarda, y govierno de la artilleria que en alla eſtava: trabaxaron eſtos, y ſus Capitanes van der Graef, van Dongen, y Ciavone, toda la noche para llenar las palizadas de la Fortaleza llamada* Sterreſchans, *y formar batterias dentro de ella. Dos dias deſpues la flota Franceſa ancoró en la Baïa de* Palmit, *y por medio de* 18. *Chalupas echaron ſu gente en tierra:* Binkes, *viendo à los Franceſes ſobre las montannas hizo quemar todas las caſas que ſe hallavan à los contornos del Fuerte, para no dexar plaça alguna à los Franceſes, en la qual ſe pudieſſen encubrir..* Monſieur de Eſtrés *mandó à un Tambor, el dia* 23. *del dicho Mes, fueſſe de ſu parte a pedir la Fortaleza: negaronlo totalmente, y duro haſta el dia tercero de Março el que los Franceſes viniesſen à velas llenas contra* Binkes, *que ſaliò al encuentro, y ſe diò combate de artilleria maravilloſo de una y orta parte. Los Franceſes entretanto, favorecidos en lo eſpeſſo del boſque ſe avançaron cerca de la Fortaleza, y dieron un brioſo aſalto con fuerça mas que ordinaria; pero fueron de tal manera rechazados, que de-*

Celsissimum Ducem Curlandiæ duas vel tres naves ad Tobago Insulam missurum esse significat & præcipit, ut si illas ad *Barbados* Insulam appelli contigerit, Commendatores & præfectos illarum cunctis non tantum necessariis se suosque, justo inde persoluto pretio, providere permittat, sed, si opus fuerit, consilio & operâ sua illos quoque adjuvet, hâc tamen adjectâ conditione, ne hisce commendatitiis literis ulli harum navium, ad exercendam in prædicta Insulâ *Barbados* mercaturam, abuti liceat. Hic tenor est Epistolæ Anglico sermone exaratæ, cujus exemplar in Archivo Ducali adhuc adservari non dubito. Autographum vero ad *Barbados* insulam transmissum fuit cum primâ & præcurrente navi Curlandicâ, cui nomen germanicumerat, *der Blumpot*, quam præfectus seu Capitaneus Nobilis Curlan-

despues de tres distinctos asaltos se vieron obligados à retirase, con pérdida de mas de 150 muertos, y 200. heridos, que llevaron, ó, por mejor dezir arrastraron con grande pena los que huyeron. Al mismo tiempo, las dos flotas tornaron al combate, y pelearon tercamente; hasta tanto, que de ambas partes perecieron algunos navios entre Vulcano, y Neptuno, de cuyo número fue el mismo enque Estrés *se hallava, armado con 27. pieças de artilleria prodigiosas. Duro la Batalla entéro dia, hasta que un poco antes de ponerse el Sol* Monsieur de Estrés *salió de la Baïa con el resto de sus navios, excépto dos que se perdieron à la vela, por haver montado muy arriba en el puerto: los Holandeses enfin, quedaron victoriosos, aunque con perdida de muchos navios quemados. Hallandose en tal desgracia* Monsieur de Estrés, *y que por entonces no podia aguardar ventaja alguna sobre* Tobago, *dió à la vela el 18. de Março, y llegó en 21. de Junio al puerto de* Brest *en Francia. Quiso su Magestad Christianissima, que bolviesse dicho* Monsieur d'Estrées *à emprehender la accion contra* Tobago,

landiæ *de Nagel* piratis *Algerienſibus* prodidiſſe fertur. Secutus tamen brevi cum duabus aliis Chiliarcha *Monckius*, Gubernator TOBAGO Inſulæ â ſua Celſitudine conſtitutus, pedem ibi fixit, conſtructoque adverſus *Caribum* excurſiones munimento, Gubernatoris Anglici in *Barbados* Inſula conſilio uſus & multam haudque levem incolarum ejus opem expertus eſt, ſiquidem victu & argentô, ceu cognitum habeo & ipſe *Monckius* adhuc in vivis exiſtens teſtari non refragabitur, coloniam hanc recentem adjuvêrunt. Celſiſſimus Dux Curlandiæ *Jacobus* præterea quoque cum *Johanne Pointzio* Londinenſi, quondam navis præfecto, ejuſque Sociis de excolendis ac plantandis 120000. inſulæ TOBAGO agris, *Abrahamum Marinum* Reſi-

y ordenò ſe armaſen à eſte fin ocho grandes navios de guerra, y otros ocho menores, con todos los quales tornò à embiar à el miſmo Monſieur de Eſtrés. *Salio del dicho puerto de* Breſt *en 3. de Octubre ſiguiente, y llegò el primero de Diziembre à la Iſla de Barbados, y como tuvieſſe algun ſocorro mas de* Martinica, *hizo reconcer de nuevo à* Tobago, *y levanto ancoras, poniendoſe à la vela para allâ; donde llegò el 7. del miſmo Mes de Diziembre, con toda ſu flota. Al puncto metiò 500. hombres entierra debaxo del mando de Monſieur de* Blinac, *Governador de Iſlas Franceſas en la America, à quien poco deſpues ſiguieron otros mil hombres. El 9. dia del miſmo Mes ſe acercaron à 600. paſſos de un pueſto que llaman* le Cort, *donde echaron toda la artilleria para eſſo deſtinada entierra. El 10. Monſr. de* Eſtrées fué *en perſona à reconoçer la Fortaleza; y deſpues de haverla hecho pedir à* Binckes, *lo rehuſo generoſamente. El ſiguiente dia los Franceſes començaron à marchar hácia la dicha Fortaleza, y el 12. del miſmo Mes los que eſtavan dentro comenzaron à diſparar ſu artilleria con grande continuacion; pero los Franceſes dieron prinpio à ſus empreſſas, echando muchas bombas: la tercera cayó en el camino cerca del Almazen de la pólvora; en el*

Reſidentem ſuum anno 1681. die 20. Septembris pactum inire juſſit, ſub iis conditionibus quæ ſub lit. ... annexæ ſunt, quo ſc. rebus TOBAGO hanc concernentibus majus accederet incrementum. Aſt non ita multò poſt, anno ſcilicet milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſecundo die 31. Decembris St. N. Celſiſſimus iſte Dux diem obiit extremum, quô recentis coloniæ in TOBAGO non parum ſpes afflicta eſt, & *Monckius* aliique in Germaniam remeârunt. Huic malo præſens allaturus remedium Celſiſſimus Dux *Fridericus Caſimirus*, *Jacobi* Beatæ memoriæ Ducis Filius & Succeſſor, Veſtræque Celſitudinis parens beatiſſimus, circa annum 1684, Mareſchallum Provincialem Curlandiæ ..... *von Alten Bockum*, Gubernatoris futuri titulo ornatum cum quadringentis hominibus ad Inſulam hanc TOBAGO ablegavit. Hujus navis ad rupem in mari occultam, tempeſtate exortâ, impegit; & quamvis vivus periculum ipſe evaſerit, pedis tamen vitium contraxit, quô languorem ferè

el qual ſe hallava mucha, derramada por negligencia de los que la ſacavan para las proviſſiones neceſſarias; por cuyo médi, ſe encendiò fuego, y corriò haſta dicho Almazen; demodo, que en un momento ſaltò en el aire con Binckes, *y todos ſus Officiales; de los quales ſolo quedò en vida el capitan* van Dongen: *lo qual viſto por los Franceſes, corrieron con* 500. *hombres, no teniendo por entonces nada que temer. Hizieronſe Sennores de la Fortaleza, donde hallaron* 300. *hombres en vida, que tomaron priſſioneros, y embiaron, à ſa païs. Monſieur de* Eſtrés *mando arraſar toda la Fortaleza, y otros pueſtos que pudieſſen ſervir de defenſa; como tambien todas las caſas de la Iſla, y partió de ella el* 27. *del dicho Mes:*

ferè perpetuum passus ac tandem circa annum 1686, mortem oppetiit : Humatus quoque in Insula fuit. Post obitum ejus Curlandorum Colonia cogente maximâ necessitate dispersa patriam ægrè recuperavit. Præter alios, qui huic interfuêrunt expeditioni, degunt adhuc Libaviæ in Curlandiâ *Apothecarius* & *Auditor* seu militarium rerum Judex, quorum nomina jam non succurrunt. Tota igitur Celsissimi Ducis *Jacobi* molitio successum planè habuit irritum. Primos verò atque ultimos Insulæ TOBAGO possessionem tenuisse Curlandos ex recensitis hactenus satis superque colligi potest. Serenissimus quidem & Celsissimus Dux Curlandiæ *Fridericus Casimirus* non leve postmodum in id studium intendit, ut deperditis ferè Insulæ & suæ in illa Coloniæ rebus quôquo modo consuleret. Sed frustrata illum est hæc opera & expectatio. Nam etsi *Pointzio* contractus prænominatus mutatis mutandis, additâque Celsissimi ratihabitione anno 1693. transmissus fuerit, successu tamen id præoptato caruit, sive quod articulorum cum *Marino* initorum limitationem vel immutationem *Pointzius* admittere renueret, sive quod ab ipso Serenissimo ac Potentissimo M. B. Rege *Carolo II.* ad suggestionem Barbados insulæ illo tempore Gubernatoris (ceu *Baro de Blumberg*, annotatione ad art. 17. Contractus sui sub lit. G. arbitratur) impeditus pro-

promissa debito more prosequendi ac adimplendi facultatem nervumque amiserit. Id certò satis constat, restaurationem Curlandicæ in TOBAGO insula coloniæ ab Anglis lucri partim causâ partimque invidiâ prolatatam, ac postremò tandem, sub specie recti, iniquè denegatam fuisse, prout sequenti paragrapho ostensum dabitur.

§. 8. *Baro de Blumberg*, Nobilis Curlandiæ in *Leonis*, *Marini* quondam successoris, defuncti locum, â Celsissimo Duce *Jacobo*, circa annum 1686. substitutus, confirmationem contractûs cum *Pointzio* initi, jam tum in Anglia apud Regiam Majestatem urserat: Ast *Carolo II.* anno 1685. fatis jam functo & *Jacobo II.* successore, quem Romano-Catholicæ Religioni addictum fuisse neminem latet, non nisi hoc, quod sub lit.C. in annexis exhibetur, per Secretarium Status *Midleton* obtinere potuit responsum. Ratio quidem non exprimitur, sed vereor ne hæc, quæ sequitur, potissimùm fuerit. Isto contractû, quem *Abrahamus Marin* cum *Pointzio* fecit & cujus exemplar sub lit F. traditur, præter alia, cavetur, liberum omnibus, exceptis Romano-Catholicis, exercitium Religionis fore. Vero igitur non absimile videtur, Serenissimum Regem hisce irritatum confirmationem hanc denegasse. Me audisse etiam memini Regem irâ non levi incensum ad pedes *Blumbergii* contractum hunc projeciisse & dixis-

se: Utrum Romano-Catholicæ Religioni addicti non æquè sinceri ac honesti esse queant? Affirmare id quidem non ausim, sed quod ab aliis relatum fuit profero. Dominus *Baro de Blumberg*, in quantum his fides haberi queat, tanquam eorum optimè gnarus, Vestræ Celsitudini explicare non refragabitur, Ego illorum, qui commoda in *Barbados* Insula Coloniæ participant, invidiâ, & fatô TOBAGO nostræ parum prosperò effectum esse, ut irriti negotiationis Curlandicæ successus extiterint, persuasum ferè habeo. Anno enim 1698. d. 22. Jan. præmaturâ morte extinctò Sereniſſimo ac Celsiſſimo Duce Curlandiæ *Friderico Casimirô*, Vestræ Celsitudinis parente beatiſſimô, supremi Provinciæ Consiliarii, juxta legum fundamentalium, seu Formulæ Regiminis §. & Decreti Regii ab anno 1644. tenorem, Reipublicæ gubernacula capesivêrunt; cum quod minorennis adhuc esset Celsitudo Vestra; tum quod Tutor & Administrator *Curlandiæ* ac *Semigalliæ* Ducatuum â Sereniſſimo & Potentiſſimo *Rege Polonorum* constitutus, Celsiſſimus Dux & Princeps *Ferdinandus*, Vestræ Celsitudinis patruus, nondum accessiſſet. Ex his tres illi ordine priores, *Magister* nempe *provincialis*, *Christophorus Henricus Baro de Puttcamer*; *Cancellarius*, *Fridericus de Brackel*, & *supremus Burggravius*, *Christianus Henricus de Brincken*, ad quasdam Germaniæ Principum

cipum Aulas, Præpotentes Belgii Confœderati Ordines, & præcipuè ad M. B. Regis Majeſtatem *Johannem Baronem de Blumberg* anno 1698. d. 25. Mart. ablegarunt. *Mareſchalli Provincialis* quippe munus, N. *de Firx.* vita functô, tum temporis vacuum erat, & nondum alteri cuidam perſonæ datum. Inſtructionis ſeu mandati, quod *Blumbergius* ſub Veſtræ Celſitudinis nomine ab illis accepit, formula Magiſtri Provincialis & Cancellarii tantum ſubſcriptione & ſigillis munita fuit. Summam ejus hanc lego: *Properaret iter ſuum omni feſtinatione & in Angliam delatus in Pointzii ſtatum, eoſque, qui literis die 25. Julii anno 1695. ad Celſiſſimum beatæ memoriæ Ducem* Fridericum Caſimirum *Londinô ſcriptis, Novam pro* TOBAGO *excolendâ Societatem collecturos ſe polliciti fuerant, ſedulo inquireret: Societatem hanc, ſi quidem ſupereſſet, Veſtræ Celſitudinis nomine interrogaret, quæ illius mens foret, & utrum redintegrato* Pointzii *contractu probatoque novi cujuſdam ineundi typo â Celſiſſimo Duce* Friderico Caſimiro, *dum in vivis adhuc eſſet, ſeu anno* 1693 *d.* 16. *Mart. ipſis tranſmiſſô, poſt pacem Riſwici jam concluſam in propoſito ſuo perſiſteret: Si qui de præfatâ Societate deceſſerint, vel alii plures acceſſerint ſeu acceſſuri ſint, quibus ſimul contractus ineundi typus ille modò dictus probetur, quam primum Veſtram Celſitudinem certiorem redderet: Pointzium, ut promiſſis ſuis, de ſolvenda, ſi Gubernator Inſulæ conſtitutus foret, Veſtræ Celſitudini mille librarum monetæ*

Anglicanæ ſummâ eademque ſingulis quantum viveret annis totidem libris augendâ, ſatisfaciat, diligenter admoneret; vel ſi is propter ætatem, ſeu contradicente Societate typo illô expreſſas adimplere non poſſet conditiones, alii cuidam ex Aſſociatis vel Aſſociandis ad tantum munus idoneo ſub iisdem, quas Pointzius *obtulit, conditionibus munus illud præſentaret: Si totam hanc Societatem diſſipatam vel delineationem novorum illorum articulorum repudiantem intelligeret, Sacræ Regiæ Majeſtatis opem auxiliumque ad promovendum Veſtræ Celſitudinis commodum imploraret, ac tandem, ſi quos ad Inſulam transvectos jam cogноſceret; ne id alio, quam Veſtræ Celſitudinis, nomine factum intelligatur, ſeriò caveret &c.* Sed *Blumbergius Pointzium* ære exhauſtum, Societatem ejus magnâ ex parte diſperſam, partim novis illis ex Curlandiâ transmiſſis acceſſionibus ſubſcribere renuentem ſe inveniſſe principiò annotationum ſuarum ad contractum, cum aliis poſtea initum, teſtatur. Hujus Contractûs ex Anglico ſermone tranſlati exemplum in annexis ſub lit. N. ſuppeditatur. Modum & circumſtantias negotiationis *Blumbergii* recenſere hîc ſuperfluum foret, quia ipſe illas prolixè in annotationibus ſuis proſequitur. Diſceptare etiam ſuperſedeo, utrum hæc *Blumbergii* Societas, ſi vel maximè Celſiſſimo Duci Adminiſtratori Contractum ejus ratihabere placuiſſet, finem optatum conſequi valuiſſet. Valdè verum dubito, quum ſcri-

ſcriptum illud ſupra citatum, quod *Conſilii commerciorum* (Anglice *Comitè of Traite*) *Aſſeſſores* Sereniſſimo ac Potentiſſimo M. B. Regi *Wilhelmo III.* exhibuêre, intueor; ſiquidem illô expreſſis ſub finem verbis declaratur, præcedenti Ablegato Curlandico, ſeu *Baroni de Blumberg*, id reſponſi loco deſtinatum fuiſſe. Parum autem illud cauſæ Celſiſſimæ Domûs Curlandicæ circa res, TOBAGO Inſulam ſpectantes, favere, quilibet non difficulter judicabit. Aſt ſi, quod *Blumbergius* plus unâ vice, dum in Anglia commorarer, mihi perſuadere nitebatur, prævia talis occaſio, expeditionem ad TOBAGO inſulam ſuſcipiendi & ex ſententiâ perficiendi, præſtò fuit, melius ſanè Celſitudinis Veſtræ & Domûs Suæ commodo conſultum fuiſſet, ſi Celſiſſimus Dux Adminiſtrator tempori inſerviendum & ex duobus malis, üt dicitur, minus eligendum duxiſſet, contractumque illum ratihabuiſſet. De Principis verò ac Domini mei voluntate arbitrium ferre nec licet nec decet. Recuſabat Celſiſſimus approbare *Blumbergii* articulos & me, indignum licet, ad Cameræ conſilia adſcitum, peractis *Berolini*, *Caſſellis*, *Hagæ-Comitis* & alibi iis, quæ commiſerat, Angliam petere jubebat, ſignatâ & ſigillo majori ſuo communita inſtructione mea Mitavii, die 10. Januarii anni 1699. Hâc mihi mandabatur, *ut quô locô res eſſent* Pointzii &

Sociorum ejus; quæ, qualisve, & an par tanto molimini Societas illa, cui cum Blumbergio *convenerat, cognoscerem & citò nuntiarem: porrò ut, si quà fieri posset, Indiæ Orientalis vel Occidentalis Societati alicui in Scotiâ Insulam hanc, cum Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis approbatione vendendi occasionem captarem.* Tardius quam cogitaveram trajicere in Angliam licuit, cum non paucis ultro citroque, maximè autem in *Hollandia*, negotiis detentus essem. Postquam verò die 24. Octobris anni 1699. *Hagæ-Comitis*, apud Serenissimum M. B. Regem *Wilhelmum III.* audientiam impetrassem, Suam Majestatem in *Angliam* inde die 26. ejusdem profectam triduo post secutus die 3. Novembris St. N. *Londinum* tetigi. Commissorum fidei meæ rationem maximam habui ac brevi vero veriora *Blumbergium* mandasse intellexi: *Pointzium* nempe inopem & amicorum suorum stipe vitam sustentantem, senioque præterea confectum ferè & tanto planè imparem negotio. Societatem *Blumbergii*, quoad maximam partem dissolutam, residuos paucos perculsis & abjectis esse animis, ipse memorabat. Ære illos, quos primum vidi, non abundare, incertus etsi, colligebam. Ast *Anglos*, quorum in *Barbados* insulæ colonia lucrum hæret, invidere, *Gallos*, *Hollandosque* adversari instituto huic citô citius patuit. Rumor enim de Colonia ad Tobago insulam sub Celsissimi Cur-

Curlandiæ Ducis nomine & patrocinio profectura, non Angliam modo sed pleraſque regiones *Europæ* pervaſerat. Quorum igitur intererat, ne terra hæc habitaretur vel excoleretur, morâ illâ, quæ â Conſiliariis Curlandiæ ſupremis nectebatur, ut nec *Blumbergii* nec meam admitterent conventionem, ſatis datum temporis fuit, Curlandiæ ejusque Coloniæ conſilia & propoſitum impediendi ac eludendi. Galliæ Regis Potentiſſimi Legatum *Comitem de Tallard*, ſcriptô memoriali Sereniſſimo M. B. Regi exhibito, Anglorum nonnullos Coloniam ad TOBAGO inſulam, quam â Rege ſuo Hollandis ereptam atque ſic quidem Belli jure ipſi acquiſitam contendebat, meditari, doluiſſe & interpoſitâ proteſtatione juri Franciæ prætenſo caviſſe tùm perceperam. Hæc atque alia literis die 13. & 18. Novembris *Londinô* ſcriptis Celſiſſimo Domino Adminiſtratori abſque mora ſignificavi. Interim dum cuncta ruminor & tot obſtacula totidemque adverſarios imminentes ſpeculor, literæ advolant Celſiſſimi Ducis Adminiſtratoris cum duabus Pleniſpotentiis, datis & ſignatis Mitavii die 30. Octobris anni præfati 1699.. Illis mens & voluntas Principis moduſque in rebus tractandis obſervandus plenius declaratur; his verò Inſulam vel vendendi vel Societati alicui præſcripto more elocandi facultas traditur.

(*p*) Venditionem seu alienationem Insulæ nostræ impossibilem illo rerum statu & fore & esse primis illis meis atque aliis iterum die 5.21. & 22. Novembr. *Londinô* missis ostendi. Gravioris quoque momenti res mihi videbatur bona Principis in minorennitate constituti divendere; adeoque neutiquam hujus sumere periculum facti audebam. Conditiones præterea, quibus contractum esse componendum mandabatur, Anglicæ genti liberæ & naturali quodam impetu suspicioni obnoxiæ nullatenus convenire, ac ea propter vel planè non, vel difficulter & ægre acceptum illas iri â participantibus seu Associatis, datis meis d. 18. & 23. Novembris monui. Restabat aliud nihil, nisi ut periculum facerem, utrum simili & adæquatô tantum aliquô modo mihi cum residuis *Blumbergicæ* Societatis convenire posset. Post diversos frustraneosque conventus contractus tandem ille, cujus typum ab originali descriptum annexis sub lit. M. inferendum curavi, ad ratificationem usque Celsissimi Ducis Administratoris initus & scriptus est d. 9. Decembr. ann.

(*p*) Plenæpotentiæ ad contractum cum Societate aliquâ ineundum exemplar præfixum est conventioni sub lit. M. descriptæ. Alterius hic tenor est. *Nos Ferdinandus Dei gratia in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Tutor & Administrator. Universis & Singulis iis imprimis, quorum inter est, notum testatumque facimus: Nos ablegato Nostro & fideliter dilecto, Nobili* Joanni Christophoro Prætorio, Ducalis Cameræ Con

ann. 1699. Quot quantasque cavillationes & censuras tam supremi in Curlandia Consilii aliorumque in Angliâ invidorum perpessus fuerim heic fusius memorare vereor. Testem habeo conscientiam, omnia me præstitisse, quantum in potestate fuit, quæ probabiliter vel aliquod saltem Celsissimæ Domui Curlandicæ commodum afferre possent. Nihil igitur de Contractu meô cum Societatis *Blumbergicæ* membris aliquot initô ejusque conditionibus, quæ mihi videbantur proficuæ, hîc exponam amplius: Id tantum, quod est, dicam, me quum *Franciæ* & *Hollandiæ Legatos* primariosque nonnullos Angliæ ministros Curlandicæ Domus Celsissimæ contrarios causæ sentirem, die 14. Januarii an. 1700. memoriali, quod sub lit. E. continetur, exhibitô Sacræ Regiæ Majestatis Angliæ clementiam imploraſſe, *velit parentis loco esse & illis, quæ Vestræ Celsitudinis commodi promovendi gratiâ de* TOBAGO *Insula, juxta conventionis inter Serenissimum ac Potentissimum M. B. Regem* Carolum II. *& Celsissimum Curlandiæ Ducem* Jacobum *peractæ*

no-

Consiliario, *plenam Potentiam dedisse, Insulam* TOBAGO *ad Domum Ducalem in Curlandia plenô Dominii jure spectantem, prout fusius tenor Privilegii* Sacræ Regiæ Majestatis Angliæ *de anno* 1664. *obloquitur, modo & conditionibus quibus fieri potest optimis & Domui Ducali proficuis, alienandi, propriumque Domûs Ducalis jus in alium quemcunque transferendi. In quorum fidem præinsertam Plenipotentiam Manu nostrâ subscriptam, sigillo Ducali muniri jussimus. Datum Mitaviæ die* 30. *Octobris anno* 1699. Subscriptum erat: *Ferdinandus Dux Curlandiæ.* (L.S.)

normam , excolenda Celsissimus Tutor & Administrator meditetur clementissime annuere , siquidem maximum exinde lucrum in subditos Suæ Majestatis redundet levisque saltem Vestræ Celsitudini accrescat utilitas. Nullo me dignata est responso Sacra Majestas Regia ; aliquot verò mensium præterlapso penè spatio Secretarius status.... *Wernon* , oblata â commerciorum consiliariis Sacr. Reg. Majestati de TOBAGO insula relationis exemplar tradidit. Hujus eò tendit scopus , ut Celsissimam Curlandiæ Domum omne ad dictam TOBAGO insulam jus amisisse evincatur. Rationes continet speciosas magis quam veras. Summa hæc est : *Quoniam Insula aliquoties à diversis sub potestatem missa nationibus solisque olim Sacræ Regiæ Majestatis Britannicæ sumptibus recuperata fuerit , neque Celsissimus Curlandiæ Dux promissam in contractû de ann.* 1664. *navem bellicam ullo unquam tempore belli adduxerit , ac insuper per Residentem* MARINUM Pointzio *ejusque sociis præmemoratis articulis mercaturam per totum terrarum orbem exercendi facultatem dederit , quum tamen à Serenissimo Rege Carolo II. in præfatæ conventionis instrumento omnium à dictâ insula mercium exportatio ad solos* Curlandiæ & Dantiscanæ Civitatis *portum expressis restringatur verbis , ideò quia contravenisset Celsissimus Curlandiæ Dux Curlandiæ , nullum amplius illi in eam jus competere.* Quanti hæc sint & quam infirmo nitantur fundamento partim ex supra relatis cognosci

potest ,

potest, partim sequenti monstrabitur capite. A viro fide digno paulo ante clanculum perceperam, Gallos, Hollandos, Anglosque inter conventum esse, â neutrâ harum gentium possessionem TOBAGO nostræ, quôcunque hoc foret titulo, occupandam; conjunctim verò cavendum esse, ne ullo unquam tempore ab aliâ quavis colonia habitetur vel excolatur. Secretæ partis cujusque rationes impulsivæ rerum gnaros latere nequeunt ferè. Angli quippe, & præprimis illi, quorum in *Barbados* insulæ plantationibus commodum versatur, veriti sunt; si TOBAGO incolis repleri & excoli inceperit, venationes & lignationes consuetas exercere ibi *Barbados* insulæ colonis prohibitum iri. Nam etsi, persoluto levi pretio, ligni ad molas, quibus *Zachari* cannis succus extorquetur, conficiendas copiam â Vestra Celsitudine non de negatam illis fore certò persuasus sim, facile tamen comprehendi potest, accipere numeratâ illos pecuniâ nolle, quæ gratis hactenus ex alieno solo rapuerant. Hujus rei gratiâ quondam quoque *S. Luciæ* insulam, sub juris antecedentis prætextu, *Gallis* eripuisse illos refert *du Tertre* T. III. Historiæ *Antilium.* (q) *Baro Blumbergius* Zachari confectionem in hâc Insula, annotatione ad contractûs sui articulum XVII.

 An-

(q) v. T. cit. Tr. II. cap. 3. ubi hisce verbis ab Anglis plenâ pace commissum facinus memorat: *Le Navire de Sa Majesté nommé le* Ter-

 ron,

Anglos pertimeſcere illorum Coloniæ in *Barbados* Inſula præjudicio futuram eſſe exiſtimat, quare etiam eôdem articulô cavendum cenſuit, nullam Zachari confectionem in TOBAGO noſtra permiſſam fore, quò ſcilicet participantum placaret animos, eorumque invidiam & oppoſitionem amoliretur. Huic quidem nolo derogare fidem ſententiæ, eſt quando tantam ab *Hollandis*, *Luſitanis*, *Galliſque* Zachari abundantiam ex utraque *India* advehi ac per univerſam ferè Europam diſtribui conſidero, concipere penitus nequeo, *Anglos*, levi illa quantitate, quam TOBAGO fortè noſtra ſuppeditare poſſet, commercium gentis ſuæ diminutum iri veritos eſſe. Præterea conventione illa ſœpius allegata, de anno 1664 & juxta cujus normam articulo Contractûs Mei XII^mo. cau-

ron, *qui devoit porter les Seigneurs de la Guadeloupe*, Monſieur le Chevalier de Chaumont, & le Sieur Bouchardeau, *en France, étoit encor à la rade, & preſt à partis, lors que M.* de Tracy *receut la nouvelle fâcheuſe, d'un acte d'hoſtilité faite par les Anglois en pleine paix, par une irruption conſiderable dans l'Iſle* de Sainte Lucye. *Il eſt vrai qu'ils alleguent pour pretexte, qu'ils ont été Poſſeſſeurs de cette Iſle devant les François, & que, s'ils y ont été maſſacrez, ou en ont été chaſſez par les Sauvages, les François ne peuvent pretendre que leurs infortunes leur donnent aucun droit de s'emparer de leur terre, joint que depuis un an, ils l'ont achepté des Sauvages, qui en ſont les veritabbles Seigneurs. Le pretexte paroiſt ſpecieux & convainquant, & les Anglois ſeroient fondez en quelque ſorte de droit qui nous pourroit oſter la liberté de nous plaindre, ſi eux-mêmes dans une pareille occaſion ne s'étoient pas emparé de* Suriname *en terre, qui nous appartenoit, par la poſſeſſion qu'en avoit priſe* Monſieur de Bretigny *en l'année* 1643. *Mais ſi nous voulons un peu penetrer plus avant, & rechercher avec plus de curioſité le motif*

cautum fuit, merces â TOBAGO noſtra venientes non niſi in *Curlandia*, vel *Dantiſcana civitate* aliiſque â Rege Carolo II. expreſſis locis divendendas eſſe. Anglorum vero Americanas colonias in *Baltico mari* mercaturam hactenus nullam exercuiſſe ſatis conſtat. Prior itaque mihi verior videtur ratio. Secunda fartaſſis hæc nominari poſſet : *Anglos* prævidiſſe, ſtabilitis TOBAGO inſulæ rebus, non paucos ex *Barbados illâ* non multum inde remota, ad hanc tranſituros fore, tum quod agrorum fertilitate & ſanâ cœli temperie reliquas antecellere *Caraïbicas* illam fama ferat, cum quod rerum domiciliorumque novitate ac varietate vulgi facile capiantur & contineantur animi. Hujus rei intuitu Conſiliarios commerciorum argumentis ſupra relatis, quibus Verſtæ Celſitudinis in Inſulam jus deſtruere illos voluiſſe memoravi, hanc ſubjunxiſſe arbitror aſſertionem, *non permitti jure ſubditis Sacræ Regiæ Majeſtatis, ſub Celſiſſimi Curlandiæ Ducis conceſſione ac*

motif qui a porté les Anglois de faire cette entrepriſe ; nous trouverons, que ç'a eſté une pure neceſſité, & que cette Nation, dont la conduite eſt admirable pour établir des Colonies, & peupler des terres, y avoit ſi bien reüſſi dans la Barbade, *qu'il n'y avoit plus de* bois de tout, qu'on n'y pouvoit plus faire de nouvelle ſuccreries, & qu'il y avoit tant d'hommes, qu'elle ne les pouvoit plus contenir, *de ſorte, qu'ils furent obligez de les decharger dans la terre la plus voiſine, & la plus aiſée, a prendre : tout cela eût été tolerable, s'ils s'y étoient établis ſans en chaſſer les François, & ſans s'emparer de ce marche, ou achapt fait avec les Sauvages, qu'ils alleguent, ayant été pratiqué par le moyen d'un Metif, nommé* Waernar &c.

dominatu ad TOBAGO *insulam accedere illamque habitare; quia, si exteri & qui ab alio principe dependeant existimandi sint, Sacræ Regiæ Majestatis in America coloniis nullum cum illis habere commercium licere; si subditi Suæ Majestati dici debeant, cum sub ejus Regimine & Protectione degant, pariter legibus & actis Parliamenti negotia vel mercaturam cum statu vel gente peregrinâ interdici illis.* Hæc sequenti capite ulterius expendam : nunc cur Galli nostro adversati adeo fuerint instituto pergam eruere. Meminisse illos credo, *Batavos*, quum TOBAGO insulam bello, quod anno 1672 & sequentibus gestum est, durante occupassent, maxima exinde *Francicis in America coloniis* damna & clades intulisse, atque nunc forte idem metuêrunt eventurum sibi, si Anglicam gentem, fortem, aliquando invidam, & non rarò felicem TOBAGO habitare & plantare contingeret. Exortô enim alio bello naves ad *Martenigo*, *S. Christophori* atque alias Gallicæ nationi subditas insulas euntes, magnum ex hujus etiam Insulæ parte periculum subituras fore prævidebant, cum jam ê contrario ad illam liberè aquationis causa appellant. Præpotentum Belgii confdœrati Ordinum Legatum Dominum *de Geldermalsem* id hâc in re tantum curare jussum puto, ne forte præsumto & confícto illi *Lampsinorum* & ab his Consilio maritimo Amstelodamensi siniſtrè vendito juri ad TOBAGO nostram præ-

ju-

judicetur. Singula hæc plus una vice Celsissimo Duci Administratori fideliter nuntiavi, serioque ponderanda, trutinanda & expendenda esse monui, quò intempore sano ejusmmodi impedimentis obviam iri queat consilio. Nihil ad hæc planè responsum est; innanem tantummodo articulorum verborumque aliquot contractus mei censuram accepi, & quoniam, ceu additum erat, conditiones, (quos Curlandiæ Statûs ministros rerum in Anglia gerendarum modi ignaros & quælibet ad leges consuetudinesque suas dimetientes mihi transmisisse & commendasse paulo ante recitavi) â Societate mea obtinere non possem, domum redire jussus sum. Morem huic mandato gessi & infectis omnibus ex Angliâ decessi. Ad Sereniſſimum ac Potentissimum Daniæ Regem deinde ablegatus Hafniæ Societatis meæ Anglicæ literas accepi, quibus petunt, nolim gravari Celsissimo Duci Administratori libellum, cujus sub lit. exemplar annexum est, exhibere; id quod gratanter feci *Mitaviam* die 24 Decembris anni 1700 redux cum essem. Utrum responso aliquo illam Celsitudo sua fuerit dignata nec ne, nescio, quia dimissionem muneris mei hactenus gesti efflagitans ac sub conditione onerosa tandem accipiens haud diu in *Curlandia* commoratus fui. Atque hæc sunt ea, quæ Tobago Insulæ gratiâ hûc usque gesta memini. Cœtera, prout spero, *Baro Blumbergius* dabit.

Nunc

Nunc ad rationes illorum, qui jus sibi in hanc Insulam arrogant, examinandas diluendasque progredior, ostensurus insimul breviter nemini id, quam Vestræ Celsitudini, competere.

CAP. III.

§. (1) *Recensentur illi superficiariè, qui Celsissimæ Domui Curlandiæ adversantur.* (2) *Lampsiniis nullum in* TOBAGO *insulam jus competere ostenditur,* (3) *adeoque nec Consilio Maritino Amstelodamensi.* (4) *Ratio, quâ Serenissimus ac Potentissimus Galliæ Rex eam sibi arrogat, expenditur & refellitur.* (5) *Consilii commerciorum in Anglia objectiones juri Curlandiæ Ducis non derogare nec derogare posse monstratur.*

§. 1. Ex præmissis hactenus non leves, uti arbitror, Celsissimæ Domui Curlandicæ adversarios obtigisse patuit. Ordine prior *Lampsinorum* Seelandica gens & *Consilium Maritimum Amstelodamense*, cui illa prætensionem seu actionem suam anno 1676 die 19 Maii vendidit, palam illi jus ad præfatam TOBAGO derogant, sibique Dominium ejus legitimum vindicant. Rex Galliarum Sereniſſimus ac Potentissimus Belli jus allegat, atque eô adquisitam sibi eandem contendit.

Quid

Quid Regis Magnæ Britanniæ Sereniſſimi ac Potentiſſimi commerciorum Conſiliarii (vulgò *Lords Commiſſioners of Trade*) opponant, præcedenti capite §. 8. explicatum fuit. Singula ſeorſim paulò accuratius adhuc pervolvenda erunt & expendenda.

§. II. Quod Lampſinorum prætenſionem attinet (1) *factum*, ſeu *rei nullius* juſtam & legitimam *jure naturali & gentium* allegare videntur *occupationem*. Id enim cauſæ Seelandorum patronus, autor nempe *Naturalis & Moralis Antilium Inſularum Hiſtoriæ*, verbis ſupra cap. 11. §. 4. citatis præcipuè innuit. Cives quidem nonnullos Valachriæ Seelandicæ, quorum nomina ſilentio præterit, primam (quod tamen falſum eſt) ſub auſpiciis Præpotentum Belgii confœderati Ordinum in TOBAGO noſtra coloniam ſtabiliiſſe refert; mox verò ſubjicit, direptam hanc brevi â barbara *Caribûm* gente ſedecim demum poſt annis, autoribus *Adriano & Cornelio Lampſiniis*, reſtitutam ac renovatam fuiſſe. Enimvero cum *Res nullius*, non illæ tantum dicantur, *quarum natura omnem poſſeſſionem & corporalem apprehenſionem ab hominibus factam reſpuit, nullumque actum admittit, ex quo peculiare alicui jus præ cæteris poſſit enaſci.*

Vid. Puffendorff. *Element. Juriſpr. Univerſ.* L. 1. defin. V. §. 28. conf. Grot. de *Mari libero* c. 5.

Sed *iſtæ* præprimis, *quæ proprietatis quidem per natu-*

ram capaces ad nullum hominem vel gentem pertinent, & in quas nemini aliquod jus peculiare præ aliis competit, quæque natura sic sunt comparatæ, ut quod cuique obtigit id quisque teneat,

Puffendorf. l. c. M. T. Cic. L. 1. de *Officiis* c. 7.

in quibus cum multa alia, tum loca inculta, vacua & *insulæ in mari desertæ*;

vid. Grot. de J. B. & P. L. 11. c. 2. §. 4.

Gentium vero jure ex *ratione naturali* profluente *id, quod* nullius *est*, *occupanti concedatur*,

Juxta l. 3. ff. de A. R. D.

TOBAGO insulæ Dominium utique â *Seelandis* sive *Lampsiniis* adquisitum legitimè dici posset, modo verum foret, *Nullius* illam fuisse. Ast tota facti hujus species incertis partim atque â veritate remotis longissimè nititur traditionibus. Nam *non nullius* fuisse TOBAGO hanc ex supradictis cap. II. §. 2. 3. seq. non improbabiliter colligere est. *Anglos* quippe illam *Warnero* duce circa annum 1626. Magnæ Britanniæ Regi Serenissimo ac Potentissimo adquisitam fuisse perhibere paragrapho ibi 2. memoravi. *Caraïbibus* utrum illam eripuerit, vel an vacuæ tanquam & desertæ possessionem apprehenderit, non traditur. A prædicto Serenissimo M. B. Rege donatam fuisse *Jacobo Duci Curlandiæ* ipsos commerciorum in Anglia commissarios vel consiliarios non omnino inficiari ibidem §. 3. demonstravi. Confirmatum quoque ejusdem

dem dominium *Celsissimo Duci Curlandiæ, Hæredibus* ac *Successoribus suis* â *Cromwello Protectore, & postea* de integro quasi donatum fuisse â legitimo M. B. Rege *Carolo II.* eodem §. probavi. Curlandos præterea Tobago illam habitasse, antequam ulla Seelandorum eò pertingeret colonia, cunctis *Historiæ Americanæ* planè non ignaris notum est, nec ipsi quoque *Lampsinii* id negare ausint. Perperam ergo dicitur, *nullius* fuisse insulam Tobago, quum *Lampsinorum* emissarii illam occuparent, atque ideo *cessante titulo cessat jus, & sublatâ causâ seu naturali hôc adquirendi modo, tollitur quoque effectus seu dominium exinde competens,*

Arg. l. 129. & 178. ff. de R. I.

Alii prævidentes modô hôc seu titulo causam Lampsinorum justam legitimamque reddi non posse (II) *pro derelicto* ab illis occupatam Tobago nostram contendêrunt. In his fuit Autor *Historiæ Piraticæ Americanæ*, qui quidem fatetur, *toti mundo cognitum esse*, Ducem Curlandiæ *primam ad* Tobago *insulam transvehi curasse coloniam; ast eundem quoque, cum hæc brevi extingueretur, cuivis illam occupanti dereliquisse*, asserere non veretur. Dubio quidem caret, *si res pro derelicto habita sit, naturali ratione statim nostram esse desinere, quia iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus adquiruntur.*

L. 1. 2. 4 & 5. §. 2. ff. *pro derelicto.*

Sed non sufficit dicere pro derelicto quid fuisse ha-

bitum; probari quin potius debet, vel certè ex circumstantiis probabiliter colligi. Nam naturali & gentium moratiorum unanimi jure legibusque ad derelictionem præsumendam minimum requiri constat *ut Dominium ejus, cujus antea res fuit, planè sit extinctum,* quod contingit, si quis (1) *rem vel apertè abjecerit, cum sufficienti signo, quod eam non amplius inter sua habere, sed in medio cuivis occupanti expositam esse velit, & quidem nulla cum intentione alteri inde gratificandi,*

v. Puffendorff. de J. N. & G. L. IV. c. 6. § 12.

siquidem hôc casu *illa rebus etiam nullius venit:*

v. idem *Jurispr. Univers.* L. I. *def.* V. §. 28.

vel *si is, qui rei alicujus est Dominus, cum altero eam rem possidente sciens, tanquam cum Domino contrahat, quia tali facto jus suum remisisse habetur.*

v. Grot. de J. B. & P. L. II. c. 4. §. 4.

(2) *Si quis ab initio quidem rei suæ possessionem amittat, deinceps tamen pro derelicta eandem habeat, vel quia recuperationem desperet, vel quod tanti ejus recuperatio non sit,*

v. Puffendorff. de J. N. & G. l. c.

e. g. porci â lupo rapti, & res, quæ naufragio sic amittuntur, ut nulla recuperandarum illarum spes affulgeat, quò etiam refero agros inundatione demersos, qui non nisi maximis reique valorem excedentibus restitui queunt sumptibus, & insulæ seu tractûs terræ amissionem talem, ut recuperatio ejus probabiliter impossibilis videatur. *Cuncta enim hæc nostra esse desinunt, non sta-*

ſtatim, ſed ubi non recipi poſſunt, id eſt, ubi non eſt, cur credatur aliquis animum Domini retinere, & ubi nulla talis voluntatis indicia extant;

v. Grot. l. c.

quia, uti *nemo poteſt pro derelicto uſucapere, qui falſo exiſtimaverit rem pro derelicto habitam eſſe,*

l. 6. ff. *pro derelicto*

ita nec amitti poteſt, niſi de animo abjicientis, vel rem amiſſam pro derelicto habentis, voluntate conſtet. Similium quippe par omnino eſt ratio, & *quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt, ita nulla amittitur, niſi in quâ utrumque in contrarium ſit actum;*

l. 8. ff. *de adquir. poſſ.*

quamvis juxta jus Romanum, hæc ſæpius admittatur limitatio, (quæ tamen hîc non attenditur) ut *ſi amiſſio inchoata fuerit â corpore, corporis & animi actus ſimul requiratur, non verò ſi ab animo incepta fuerit, quia tum ſolus animus ſufficit.*

vid. Gothofr. ad l. cit.

Facilius enim *amittitur, quam acquiritur, ſiquidem amitti nonnunquam ſolo animo poteſt, quamvis acquiri non poteſt,*

l. 3. §. 6. ff. *de acquir. poſſ.*

quò etiam particulam *fere* l. 133. ff. de R. J. reſpicere *Gothofredus* arbitratur. Id certum eſt, *in amittenda poſſeſſione* (vel, quod par eſt, dominio) *affectionem ejus, qui poſſidet,* (vel, cui competit.) *intuendam eſſe,*

l. & §. cit. ff. *de acquir. poſſ.*

utrum nempe *eo animo inde digreſſus* ſit (vel dominium ab-

abdicaverit) *ne posſideret*, (vel ne dominium repeteret)
arg. l. 44. ff. de R. J.

Aſt cum de animo ſeu voluntate Domini rei ſuæ amittentis poſſeſſionem difficilè judicium ferri queat, niſi apertis vel verbis, vel ſignis declarata fuerit, non civili tantum ſed naturali etiam & Gentium jure longi temporis præſcriptio, *in compendium mittendis litium ambagibus, velut appendix & conſectarium Dominii rerum*
v. Puffendorff. de J. N. & G. L. IV. c. 12. §. 9.
tacito conſenſu introducta eſt; *ſic, ut is, qui remſuam ab alio teneri ſcit, nec quicquam contradicit multo tempore*, niſi alia cauſa manifeſtè appareat, *non videatur id alio feciſſe animo, quam quod rem illam in ſuarum rerum numero eſſe nollet. Silentium* verò *eſſe* oportet *& ſcientis & liberè volentis, quia non agere neſcientis caret effectu, &* alia cauſa cum apparet, *ceſſat conjectura voluntatis.*
v. Grot. lib. & cap. cit. §. 5. l. 15. §. 21. ff. de damno infecto.

Nam contingere poteſt, *ut quis per longiſſimum temporis ſpatium jus ſuum ignoraverit, aut metu impotentiaque vindicandi cohibitus fuerit, quô ſane caſu non ad tacitæ derelictionis præſumptionem diuturnum valet ſilentium.*
v. Puffendorff. L. & c. cit. §. 8.

Cæterum verò in civitatibus ſeu Rebuspublicis benè ordinatis ad lites præcidendas, & ne in perpetuo errore ac metu bonæ fidei poſſeſſores verſentur, *uſucapiones & præſcriptiones* certis circumſcriptæ terminis, prout
cuique

cuique convenientius visum fuit, usu venêre. Sic legibus Romanis, juxta rerum vel personarum circumstantias, causis quibusdam X. alias XX. XXX. vel XL. annorum spatium constituitur:

l. 1. 2. 9. 11. C. *de præscr.* X. *vel* XX. *an.* l. 3. 4. 5. 7. §. 2. & l. 8. C. *de præscr.* XXX. *vel* XL. *an.*

ast naturali & gentium universali jure temporis intervallum, intra quod amissum vel derelictum censeri debeat rei dominium, determinatum præcisè non deprehenditur.

v. Puffendorff. L. & c. cit. §. 9.

Grotius *memoriam excedens tempus moraliter quasi infinitum esse*, adeoque *ejus spatii silentium ad rei derelictæ conjecturam, sufficere videri* existimat, *nisi scilicet*, ut dictum, *validissimæ adsint in contrarium rationes*,

v. Grot. L. & c. cit. §. 7.

Atque hoc memoriam excedens tempus prudentiores JCti centenario emetiendum ducunt

v. Curt. Jun. Conf. 90. n. 2. Aym. Crau. *de Antiq. temp.* P. IV. pr. in verb. *absolutis differentiis*, usque ad n. 9. Covar. in c. *possessor.* de R. J. L. 6. n. 9. &c.

quia *communis humanæ vitæ terminus sunt centum anni & tale tempus tres ferè hominum ætates solet efficere;*

v. Grot. l. c.

Ea propter quoque præscriptionem istam centenariam *pro veritate haberi*

v. Glos. in l. 1. C. *de servit. & aq.* verb. *& sic consuetudo.*

tudo. Curt. Jun. Conſ. 61. n. 3. v. & *talis præſcriptio.* Pariſ. Vol. 1. conſ. 27. n. 33. Aym. *de antiq. temp.* P. IV. n. 127. & 147.

& *ad directi etiam Dominii acquiſitionem ſufficere* putant.

v. Bald. ad l 20. C. *de pactis*, v. *ego dico*, & in cap. *cum cauſam*, n. 4. ſeq. it. Vol. 1. conſ. 352. Curt. Jun. conſ. 61. v. *virtute*, & conſ. 158. v. & *virtute.* Chaſſ. conſ. 66. n. 51. ſeq. Aym. *de antiq. temp.* P. IV. n. 173.

Illuſtris Puffendorffius centenario illi ſpatio non adeo inhærendum, ſed memoriam excedens tempus *boni viri arbitratu non citra latitudinem deſignandum eſſe* exiſtimat, *ita ut ratio habeatur & Domini antiqui & recentis poſſeſſoris; illius quidem, ut ne maturè nimis, â perſequenda & inveſtiganda re ſuâ excludatur, maximè ſi abſens fuerit; hujus, ne præter meritum detrimentum capiat, ſi eô tempore res auferatur, quando ſibi per evictionem conſulere amplius nequit, aut cum iſta velut in fundamentum fortunarum ipſius evaluit.*

v. L. c. & §. cit.

Etſi verò hîc de tertio poſſeſſore ſermo ſit, verba tamen maximè ad probationem derelictionis per longi temporis poſſeſſionem quadrant; ſiquidem *præſumptio non levis eſt, quemquam ejus, quod vult, longô tempore nullam planè edere ſignificationem idoneam; neque lex hæc in ſola præſumtione nititur, ſed jure gentium voluntario inducta non improbabiliter dici poteſt, ut poſſeſſio memoriam excedens jugis, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omninò dominium transferret.*

v. Grot.

v. Grot. L. & c. cit. §. 8. & 9. conf. l. 2. C. *de præscr.* X. *vel* XX. *an.* & l. 3. §. 3. l. 4. & 7. C. *de præscr.* XXX. *vel* XL. *an.*

His serio perpensis, quam levi & infirmo *Seelandorum* vel speciatim *Lampsinorum* ad TOBAGO insulam jus â derelictione Curlandica petitum fundamento consistat, quivis facile vel per transennam perspicere poterit. Nam si verum est, quod omnes fatentur & supra cap. II. §. 3. & 4. debitis ostendi circumstantiis, primam in TOBAGO insulâ constitutam coloniam *Curlandorum* fuisse, utique jus ad eam Celsissimo eorum Duci prius, quam cuivis alteri sive nationi sive imperanti competiisse consequitur. Si competiit, quod omni planè dubio caret, cum tritum sit ac manifestum satis, num propterea, quod Celsissimo Duce *Jacobo Narvæ* captivo *Curlandorum* colonia vi, inopiâ, aut aliô quodam casu disturbata vel extincta fuerit, confestim *pro derelicto* habita TOBAGO censeri potest? neutiquam. Verba quæso vel signa monstrent, unde vel probabiliter saltem colligi queat, animum amittendi vel derelinquendi unquam Celsissimum Curlandiæ Ducem habuisse: silentium longô non interruptum tempore, idque juxta præscriptos Civili jure terminos tantum probent, manum dabo; etsi illo Celsissimum Ducem non obligari, nec id jure gentium ad Dominii Universalis probationem sufficere, neminem fugiat. Certò

autem persuasus sum, neutrum illos fore ostensuros: contrarium ast digitô quasi indicare levis sanè operæ negotium est. Nam animum amittendi vel derelinquendi insulam Celsissimum Curlandiæ Ducem non habuisse patet (1) quod ex captivitate sua redux aliquoties per legatos & ministros suos apud Celsos ac Præpotentes Ordines Generales egerit, ut *Lampsinos* Tobago hanc, quam injustè occupaverant, suæ Celsitudini, tanquam legitimo ejus Domino restituere constringerent: (2) quod, cum parum impetraret in Belgio, (Præpotentibus quippe Ordinibus vel propter alias cui huic expediendæ causæ operam navare impeditis, vel Seelandis morem, ut non rarò solent, gerentibus) misso ad Serenissimum Potentissimumque M. B. Regem *Carolum* II. ablegato, cui nomen N. *de Tranquiz* fuisse percepi, Tobago insulam Anglicæ protectioni subdiderit, contractûque anno 1664 initô, quasi de novo sub donationis oneroſæ titulo â Sua Majestate concedi illam sibi, Hæredibus ac Successoribus suis curaverit; quô factô Celsissimæ Domui Curlandicæ novam juris accessionem obtigisse nemo non videt, sicut præcedenti capite §. 6. prolixius memoratum fuit: (3) quod Celsissimus Dux anno 1671. unâ cum Serenissimo & Potentissimo Rege *Carolo* II. apud Celsos & Præpotentes Belgii confœderati Ordines denuò insulæ præfatæ

restitutionem ursérit, quodque *Lampsiniis* â Præpotentibus Ordinibus diuturnior ejus usurpatio interdicta fuerit: & tandem(4)quod Celsissimus Dux pace Neomagi anno 1679. concluſa cum Sereniſſimi & Potentiſſimi M. B. Regis consensu Tobago insulæ, missis eò navigiis aliquot, possessionem nemine contradicente recuperaverit novamque illi coloniam imposuerit, quæ durante continuô sex annorum spatio quiete illam habitavit. Æquus ergo arbiter sententiam ferat, signa hæc sint nec ne? quod amittendi planè insulam nunquam, sed conservandi potius, ac recuperandi animum semper Celsisimus Curlandiæ Dux habuerit. Silentium suæ Celsitudinis diuturnum nec protestatione vel provocatione ad arbitrum interruptum tantò minus adhuc accusari vel adduci poterit, quia ex præmissis clarè satis constat, *Lampsinos*, si vel maximè Civili Romano Jure decidendam esse controversiam hanc concederemus, ne decennem quidem probaturos fore præscriptionem, quâ tamen ipsis illis privatis Romanorum legibus rei immobilis Dominium adquiri nequit. Igitur *cum principalis causa* (sc. occupatio *pro derelicto) non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur*, (nempe adquisitum rei derelictæ dominium) *locum habere consequitur.*

l. 129. ff de R. J.

Opponunt (III) *Lampsinii*, se non propria autoritate,

si nou derelictam omninò at certè vacuam pro tempore insulam TOBAGO occupasse, sed Præpotentum Belgii confœderati Ordinum & Societatis Indiæ Occidentalis concessionibus aliquot, ut licitè hoc possent facere, instructos fuisse, prout ex contractu cum *Consilio maritimo Amstelodamensi* facto elucet. Sed quid juris quæso inde adipisci queunt *Lampsinii?* Anne Præpotentes Belgii Confœderati Ordines in alienas res, & principi extraneo, libero, nec illis ulla ratione subjecto, jure optimo competentes, imperium sibi arrogare easque in subditos suos transferre vel voluisse vel potuisse credendum est? Enim verò sicuti privatis non saltem Jure civili, sed naturali etiam & Gentium illô, rerum immobilium, si nullius vel ita derelictæ & abjectæ fuerint, *NB. ut in suis illas priorem & verum dominum habere amplius noluisse appareat*, adquisitio seu occupatio ut dicitur *per fundos* concéditur; ita & cœtui cuidam hominum, sive populo, aut illi, qui populo imperat, partem vel tractum aliquem terræ desertum aut derelictum certisque finibus per naturam seu ex hominum arbitrio circumscriptum, (sive hoc ipse faciat, sive per subditos suos)

Arg. l. 10. §. 2. & 4. it. l. 53. ff. de A. R. D.

adquirere *per universitatem*, *Dominiumque* ejus *universale seu supremum occupare* licet,

v. Grot. de J. B. & P. L II. c. 2. §. 4 Puff. de J. N. & G. L. IV. c. 6. §. 3. & 4.

Nam,

Nam, cum dominium integri cujusdam tractûs terræ per universitatem occupati *imperium* seu *jurisdictionem*, id est, summam leges condendi, jus controvertentibus dicendi, magistratus constituendi, agros in singulos & privatos describendi, aut alia quævis, quæ ad moderamen civitatis salutare requiruntur, cum autoritate & effectu stabiliendi exercendique potestatem quasi connexam habeat, illis quidem, qui in parendi conditione constituti sunt, privatum agrorum adquiri dominium potest, minimè vero *imperium* impropriè sic dictum, seu *territorium*; quia juxta illud Dion. Prusæensis, ἡ χώρα τῆς πόλεως, ἀλλ' ὅδεν ἧττον τῶν κεκτημένων ἕκας@: *Regio Civitatis est: at non eò minus in ea suum quisque possidet.*

v. Orat. XXXI. conf. Dio Chrysost. in *Rhodiaca.*

Exinde etiam *supremi imperantes, quò minus desertarum regionum occupationem quilibet subditorum invadat, prohibere possunt.*

v. Puffendorff. de J. N. & G. L. IV. c. 4. §. 5.

Atque id superioribus seculis, per *Columbum* & *Americum Vesputium* novi Orbis, seu, ut vulgo dicitur, *Indiæ Occidentalis*, regionibus detectis, strictè â Rerumpublicarum seu Regnorum Europæorum Rectoribus observatum legitur, ut subditis ipsorum non nisi consensu publico, sive principis sive Senatûs, illas, etsi vacuas, invadere, tantum abest, occupare & plenô jure sibi vindicare liceret. Hinc omnes sive socie-

tates, ſive coloniarum principes, quum aliquarum regionum aut inſularum poſſeſſionem apprehenderent, ſummi Magiſtratûs conſenſu & conceſſionibus, (vulgò *des Octroys*) opus habuiſſe apparet. Exemplo ſit apud Gallos ab *Armando Richelio* primario Regis Chriſtianiſſimi miniſtro & ſupremo commerciorum Franciæ præſide datum Regio nomine duobus illis navium præfectis *d'Enambuc & du Roſſey* (qui primam Gallorum coloniam in *S. Chriſtophori* Americæ inſulam duxerunt) privilegium. Eô enim facultas ipſis & poteſtas impertita eſt, *inſulas* S. Chriſtophori & Barbados *aliasque in aditu Regni Peruviani citra lineam æquinoctialem ab undecimo latitudinis ſeptentrionalis gradu ad decimum octavum usque ſitas*, nullique *NB.* Regi nec principi Chriſtiano ſubjectas, *occupandi, deductis ex Galliâ coloniis frequentandi, easdem pendente viginti annorum intervallo* ſub Regis imperio *tenendi, poſſidendi & cultivandi, barbarosque ſeu nativos illarum incolas ſub* Suæ Majeſtatis *obſequium redigendi*, hâc adjecta inſuper conditione, *ut metallis cujuscunque generis effodiendis ſedulam navarent operam, proventuumque omnium decimam â quibusvis impenſis liberam partem* Regi *fideliter exſolverent.* &c. Ea propter quoque reduces iidem ad *S. Chriſtophori* inſulam, contractu cum *Warnerò* Anglicæ navis præfecto, & conſtituto â Sereniſſimo Potentiſſimoque M. B. Rege *Anglorum* ibidem exiſtentis *coloniæ* Gubernatore, de partiendis inter duas nationes, *Gallicam*

nempe

nempe & *Anglicam*, istius insulæ terris anno 1627. die 13. Maii initô, art. I. & II. expressis caveri verbis curarunt; *omnes insulam hanc incolentes* Gallos *non nisi â* Rege Christianissimo *& Gubernatoribus ab illo præpositis*; Anglos *verò â* Regia Magnæ Britanniæ Majestate *ejusque constitutis Ducibus, præsidibusque dependere & mandatis illorum præstare obedientiam debere.*

v. du Tertre *Hist. gen. Antil.* T. I. P. I. c. 1. §. 2. 3. & 4.

Si cæterarum *Anglicæ* gentis in *America* coloniarum statum & originem observare quis velit, Sacræ Regiæ Majestatis consensu transvectas summumque illarum imperium illi adquisitum fuisse inveniet. Nam descriptô in singulos privatosque agrorum vel plantationum numerô, commoda mercaturæ penes societates, vel illos, qui sumptus pro stabiliendis *Zachari*, *Tobaci* &c. plantationibus erogarunt; suprema autem jurisdictio cum reliquis Regalibus penes Regem mansit. Ideo etiam, cum aliarum, tum maximè Jamaicæ insulæ *summus princeps ac Dominus* Serenissimus M. B. Rex vocatur, scriptisque vel commissionibus singulis titulus præfigitur: *Magnæ Britanniæ Rex* &c. *& Supremus Jamaicæ Dominus.*

v. descriptio statûs Insulæ Jamaicæ pr. p. III. ubi verba hæc leguntur Anglica: *The King is Souveraing Lord of this Island, en in writs, commissions, grants &c. is stiled*, King of England &c. Lord of Jamaica.

Con-

Contigit quoque, ut nonnunquam Societatibus *dominii* illius *universalis* seu *supremæ jurisdictionis* pars relinquatur, siquidem *nihil obstat, quo minus imperium* cœtui subditorum terræ-tractus vel insulæ desertæ occupandi gratia coëunti, â supremo imperante *purè vel sub conditione, irrevocabiliter aut revocabiliter deferri queat*,

v. Grot. de J. B. & P. L. II. c. 6. §. 1. 3. 7. 14. invicem collatis.

prout ex *Pensylvaniæ* & Societatum Belgicarum pro *Orientali & Occidentali India*, conditione & statu apparet. Non mirum igitur videatur, *Lampsinos* concessionibus Præpotentum Ordinum Generalium & eorum, quibus has edendi facultas delegata fuit, opus habuisse, quia privato ausu desertas regiones nec *per fundos*, nec, quod potius est, *per universitatem* adquirere illis communi jure licebat. Controversia etiam caret, Præpotentis Belgii confœderati Ordines, jure suprematûs, ejusmodi concessiones terris sive desertis sive pro derelicto habitis occupandis & possidendis subditis suis largiri potuisse: ast ut jure hoc fiat, tractus istos terræ nullius vel derelictos esse & ab omnibus tales æstimari, non conjectura levi sed maximè probabili constare debet. Nulla enim sive naturali ratione, sive Gentium, (quibus æqui bonique observatio chara fuit & sancta) consuetudine, summis imperantibus plus juris in alienas res conceditur, quam

quam privato in privatum, quia æquitatis ſemper â quôvis rationem haberi decet. Totius quippe Societatis humanæ rumperentur vincula, nec quisquam de re vel jure ſuo, bona fide adquiſitô, unquam tutus eſſe poſſet, ſi quod libet potentiori in aliena dominia liceret. Prout ergò juxta Juris Romanorum civilis, ex ipſa æquitatis puræ & naturalis ratione derivatas regulas *non debet alteri per alterum, vel vim inferendo vel paciſcendo iniqua conditio inferri,*

l. 74. ff. de R. J. l. 2. ff. *quod vi*, l. 27. §. 4. in fin. ff. *de pactis*, & l. 38. §. 17. ff. de V. O.

& id, quod noſtrum eſt, ſine facto (ſeu conſenſu) *noſtro ad alium transferri non poteſt,*

l. 11. ff. de R. I.

quia *nemo res ad alium pertinentes, non obligatas ſibi, nec ex officio alienandi, vendendi aut transferendi poteſtatem habens diſtrahendo alteri nocet;*

Arg. l. 6. C. *de reb. alien. non alienand.*

ita jure Naturali & Gentium, deficiente originario illô Dominii adquirendi modo per occupationem vel apprehenſionem rerum nullius vel derelictarum, nulli nec populo, nec ei, qui populo imperat, fas eſt, ut alterum non laceſſitus lædat, ejus agros vel terras occupet, aut ſubditis ſuis occupandas tradat, quia *id cuilibet homini natura juris tribuit, ne ab altero ipſi citra antegreſſum ſuum meritum mali quid inferatur.*

v. Puffendorff. de J. N. & G. L. I. c. 7. §. 15. l. 10. §. 1. ff. de J. & J.

Dico non lacessitus; quoniam jure Gentium, ex quô bella sunt introducta, *vim atque injuriam propulsare licet*, L. 3. & 5. ff. cit. T.

& bello ex justa causa, id est propter læsionem, susceptο, alienæ etiam rei vel terræ acquiri dominium potest, quam acquisitionem Theophilus in Græcis Institutionibus φυσικὴν κτῆσιν, *naturalem possessionem* appellat: nimirum quod *in bello res hostium in ordine ad alium hostem redduntur, velut dominio vacuæ; non quod hostes per bellum ipso jure rerum suarum domini esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quo minus eas res auferre sibique habere possit; prorsus uti ad rei vacuæ dominium adquirendum sola adprehensio sufficit.*

v. Puffendorff. l. c. L. IV. c. 6 §. 14.

Hinc Gajus sc. propter hanc rationem, *quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim occupantium fieri* ait,

l. 5. §. 7. de A. R. D. §. 17. Inst. de R. D.

& Nerva filius, cum Paulo referente rerum Dominium ex naturali possessione cœpisse ejusque rei vestigium remanere de his, *quæ terrâ mari cœloque capiuntur*, statim iis addit, item *& bello capta, quæ eorum fiunt protinus, qui primi possessionem eorum nacti sunt.*

l. 1. §. 1. & 2. ff. *de acquir. poss.*

Ast hæc de justo & ex justis causis susceptο bello intelligenda sunt,

v. Cic.

v. Cic. L. I. Off. c. 11. Grot. L. III. de J. B. & P. c. 3. coll. cum præced. & Balth. Ayalam. de jure & Officiis Belli L. I. c. 2.

quo capta ſecundum noſtri temporis in bello ſuſcipiendo & pace concludenda obſervatas conſuetudines *ſub primi occupantis jura quidem tranſeunt, ultimam vero firmitatem* tunc demum *adipiſcuntur, quando is, cui illa erepta fuerunt, per pacem prætenſioni ad eadem renunciat:*

v. Puffendorff. L. c. & §. cit.

Minimè autem ea ad bellum, *nullis cauſis & prout ejus merces fuit*, initum jure extendi queunt, quia hoc eſt prædonum; quare Grotius, *primum*, inquit, *dicimus, ſi belli cauſa injuſta ſit, etiamſi bellum ſolemni modo ſuſceptum ſit, injuſtos eſſe interna injuſtitia omnes actus, qui inde naſcuntur: ita ut qui ſcientes tales actus operantur, aut ad eos cooperantur, habendi ſint in eorum numero, qui ad regnum cœleſte ſine pœnitentia pervenire non poſſunt. Atque ita videmus ſentire non* Judæos *tantum &* Chriſtianos, *ſed &* Mahumetiſtas. *Ad reſtitutionem autem tenentur belli auctores, ſive poteſtatis jure ſive conſilio, de his ſcilicet omnibus, que bellum conſequi ſolent: etiam de inſolitis, ſi quid tale juſſerunt, aut ſuaſerunt, aut cum impedire poſſent, non impedierunt.*

v. Grot. L. III. de J. B. & P. c. 10. §. 3. & 4. col. L. II. c. 17. §. 16. 19. & 20.

Ipſa enim natura juris juſtitiæque *ſuum cuique tribuendum & alienis abſtinendum* eſſe edocet, cujus intuitu

quoque privatô Romanorum jure Prætor, Ulpiano teſte, *interdicto occurrendum cenſuit calliditati eorum, qui vi aut clam quædam moliuntur, jubentur enim ea reſtituere. Et parvi refert, utrum jus habuerit aliquis faciendi, an non: ſive enim jus habuit, ſive non; tamen tenetur interdicto, propter id, quod vi aut clam fecit; tueri enim jus ſuum debuit, non injuriam comminiſci;*

l. 1. §. 2. ff. quod vi aut clam

adeoque etiam, *ſi quis vi de poſſeſſione dejectus ſit perinde haberi debet ac ſi poſſideret, cum interdicto de vi recuperandæ poſſeſſionis facultatem habeat.*

l. 17. ff. de acquir. poſſ.

Si igitur nemini, ſive privatus fuerit, ſive ſummo gaudeat imperio in alienas res quidquam licet, niſi eas pro derelictis habitas eſſe pateat, vel *bello ex juſtificâ cauſa ſuſcepto*, vel *pacto*, vel *ex officio*, vel *alio quovis titulo legitimo*; Præpotentum Belgii confœderati Ordinum conceſſionibus *Lampſinorum* Societati datis nullum Celſiſſimi Curlandiæ Ducis juri præjudicium inferri, vel inferri poſſe, perſpicuum eſt. Nam (1) ſupra Inſulæ Dominium Celſiſſimæ Ducum Curlandiæ Domui bonâ fide adquiſitum & ab illa nunquam, poſſeſſione licet aliquoties amiſſa, *pro derelicto* fuiſſe habitam oſtenſum eſt, atque ea propter, ceu in præmiſſis juris juſtitiæque argumentis, ut puto, diluci-de explicatum fuit, neque â Præpotentibus Ordinibus

bus *Lampſiniis* ejus occupandæ facultas concedi neque ab his Dominium illius ullô adquiri jure potuit. Communis enim eſt opinio, occupantem loca aliena, etſi poſtea ſe de illis inveſtiri faciat, nihil facere, & priori Domino illa reſtitui debere.

v. Socin. Jun. vol. I. conſ. 89. n. 22.

(2.) Nullum ullo unquam tempore Celſiſſimis Curlandiæ Ducibus bellum ſeu inimicitia cum Præpotentibus Belgii Confœderati Ordinibus aut amicis & Confœderatis illorum interceſſit, cujus intuitu propriam illorum inſulam invadendi vel in ſubditos ſuos transferendi jus obtinuiſſe illos dici queat. (3.) Nullo etiam nec feudi nec pacti cujusvis nexu Celſiſſimi Curlandiæ Duces Præpotentibus illis Ordinibus obligantur, ut, quod vel feudi confirmationem ſeu renovationem ſtatutô tempore neglexerint petere vel contra pactum commiſerint, jus ſuum exinde dependens amiſiſſe condemnari queant debeantque. In confeſſo quidem eſt conceſſiones aliquas *Lampſiniis* â Præpotentibus Ordinibus datas fuiſſe, quarum exemplaria quoque *Advocatus Vander Burg*, Celſiſſimi beatæ memoriæ Ducis *Friderici Caſimiri* quondam *Hagæ-Comitum Agens*, poſſidet; nec inficias iri poteſt, ſuperioribus annis 1698 & 1699 eorundem Præpotentûm Ordinum in Anglia Legatum *Dominum de Geldermalſen*, Curlandicis de erigenda, juxta

contractûs anno 1664 cum Sereniſſimo M. B. Rege *Carolo* II. initi normam, nova ad cultivandam TOBAGO inſulam ſocietate conatibus obniti juſſum eſſe : verum quô jure unum alterumve factum nitatur, quilibet non difficulter ex antedictis dijudicabit. Vix, & ne vix quidem, perſuadere mihi poſſum, Celſos ac Præpotentes Belgii confœderati Ordines, pacis tempore, Celſiſſimo Curlandiæ Duci, quô cum nullam, ceu dictum, ipſis controverſiam fuiſſe conſtat, inſulam optimô jure, per conceſſiones, confirmationes, & contractus partam eripere illiuſque occupandæ poteſtatem *Lampſiniis* dare voluiſſe, niſi ab his forte circumventi fuiſſent. Quum primas inſularum Americæ atque terræ ejus firmæ occupationes intueor, præcipuos Europæ Reges, Principes aut Rerum publicarum Rectores ab inhumanitate cavendum ſibi atque privilegiis, quæ ſubditis ſuis vel conſociato ex ſubditis cœtui largiti ſunt, inſerendam cenſuiſſe clauſulam obſervo, *ne alienas ſeu principi cuidam Chriſtiano proprias* invadere ipſis liceret, ſicuti ſupra ex conceſſionis â Rege Galliæ domino *d'Enambuc* datæ exemplo patuit. Quis ergo Rege Galliæ deteriores & minus Juſtos Celſos ac Præpotentes Belgii confœderati Ordines (æquos ſimul cum Sereniſſima M. B. Regina totius, parum abeſt, Europæ arbitros) exiſtimaverit? Si quod conjicio fateri fas eſt, *Cornelium Lampſinum* conſulem civi-

civitatis Middelburgensis in Seelandia, Collegio Præpotentum Belgii confœderati Ordinum circa annos superioris seculi LIII. & LIV. adscriptum, Celsis ac Præpotentibus Ordinibus, Insulam TOBAGO vel *nullius* esse vel â priori domino *pro derelicto* habitam persuasisse, adeoque clam, nefariam atque, sub ≠ & obreptivo more concessiones (seu *Octroys*) prædictas obtinuisse arbitror. Ne calumniari videar, causas suspicionis meæ probabiles allegabo. (1.) Si *Lampsinii* quocunque Juris titulo fundatam habuissent ad TOBAGO nostram prætensionem, supervacaneum, inane & ridiculum planè fuisset contractui, quem, ceu capite præcedenti i. e. II. §. 6. in fine memoratum fuit, cum *Consilio maritimo Amstelodamensi* anno 1676. die 19. Maii inierunt, possessionis de malâ fide suspectæ terminos hosce præmittere; *emptores non examinatores fore, quô jure titulove Lampsinii* TOBAGO *insulæ dominium adquisivisse prætendant.* (2) Nullus dubito Celsos ac Præpotentes Ordines concessiones suas ad occupandum TOBAGO insulæ Dominium eandemque cultivandam *Lampsiniis* indultas non annihilaturos vel his prohibituros fuisse, ut istius insulæ abstinerent usurpatione, si illi juxta normam æqui bonique adeoque legitimè adquisiti dominii illius allegare vel monstrare potuissent titulum. Nam etsi exemplar hujus interdicti circa annos 1671 & 1672 editi heîc non adjecerim, certò

certò tamen cognitum habeo, in chartophylaceo Præpotentum Ordinum & Veſtræ Celſitudinis inventum illud iri. (3) Si *Lampſinii*, vel qui in illorum locum ſucceſſêre, jus aliquod ad prædictam inſulam bonâ fide partum habuiſſent, haud permiſſuros fuiſſe puto ſupremos unitarum Provinciarum Ordines, ut pace, *Neomagi* pactâ, Celſiſſimus Curlandiæ Dux TOBAGO ſuam, prout jam antea memoravi, recuperaret & novis frequentatam coloniis, continuo ſex annorum intervallo pendente, quietè & nullâ intercedente cujuscunque contradictione poſſideret.

Certò igitur perſuaſus ſum, ſi totius rei geſtæ vera & candida relatio Præpotentibus Confœderati Belgii Ordinibus, â Veſtra Celſitudine ſuppeditaretur, malæ *Lampſinorum* cauſæ non adeò amplius patrocinaturos illos fore. Quæ ex *Lampſinorum* prætenſo illo jure reſultant, ſequenti enucleabuntur paragrapho.

§. III. Conſequitur nunc Conſilii maritimi Amſtelodamenſis prætenſio. Hæc titulo *empti venditi* atque contractu propterea ſcriptô, interque *Hugobertum Lampſinum* ſuo, & *Joſinæ de Haze*, *Adriani Lampſinii* viduæ nomine, *Johannem & Gelenium Lampſinos*, *Cornelii* filios atque hæredes, ex una parte, tanquam *Venditores;* & ex altera, *N. ten Hove*, *N. van den Boetſelaer*, *N. van der Duſſen* & *Hiobum de Wilde*, Conſilii maritimi

præ-

præfati deputatos, tanquam *Emptores*, anno 1676. die 19. Maji coram notario Amstelodamensi *Jan Volckertsz Ely* inito nititur: ceu ex annexo hujus exemplari sub lit. K. fusius percipi potest. Non nego *emptionis venditionis contractum juris gentium esse*,

l. 1. pr. & §. 2. ff. *de contr. emp.* § 2. Inst. de J. N. & G.

(quamvis formam plerumque â jure civili, quatenus receptum, habeat)

v. Conr. Oleman. *Antinom. Jur. Civ.* L. III. disp. 28 ad th. 5. 6. & 7. &c.

Et *consensu* contrahentium personarum *mutuo*,

l. 1. §. 2. & l. 2. ff. *de Pactis*. l. 2. & 48. de O. & A. l. 35. §. fin. de V. O.

In præsens negotium perspicuè, tam quoad ipsam speciem, quam rei in contractum principaliter deductæ materiam, *directo, libero, vero, non simulato, nec obscuro, sed claro*

l. 39. ff. *de Pactis*. l. 9. 11. 21. 33. 38. & 55. ff. *de contr. empt.* l. 3. & 11. C. hôc tit. l. 16. C. *de jur. delib.* l. 16. ff. de R. J.

Inscriptis vel sine scriptis, (siquidem scriptura non ex juris necessitate, sed partium saltem conventione, probationis gratia requiritur)

§. *sed hoc*, Inst. *de empt. vendit.* l. 17. C. *de fide instr.* & l. 15. C. de *contr. empt.* conf. Treutl. *in Digest.* Vol. I. disp. 28. th. 9. & Oleman. l. c. ad th. 9. &c.

de re certo pretio in pecunia numerata seu ejus æstimatione *habenda*, & â *venditore* sive *corporaliter*, i. e. de manu in

manum, sive *moraliter* & jurisfictione realiter, abdicando scilicet jure suo, *emptori tradenda*,

§. 2. Inst. *de empt.* l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. & l. 8. ff. *de contr. empt.* conf. Treutl. ad h. t. disp. cit. th. 6. Syntag. commun. opin. T. II. L. VII. tit. 1. §. 288. *de acquir. poss.* p. m. 216. *v. Traditio*, &c.

ritè iniri ac peragi posse; quia *nihil naturali tam conveniens æquitati est, quam voluntatem Domini rem suam in alium transferre & per consequens alterius eam sibi comparare volentis ratam haberi.*

l. 9. §. 3. ff. de A. R. D.

Nam sicuti natura omnes *liberos* esse voluit homines,

l. 4. ff. de J. & J. l. 5. §. 2. ff. *de stat. hom.* Nov. 89. c. 1.

& imprimis voluntatem illorum, cujus consectarium est consensus seu mediorum, quatenus, utilia judicantur ad finem, approbatio,

v. Puffendorff. de J. N. & G. L. I. c. IV. §. 1. seq.

ita nemo ne â principe quidem vel summo imperante cogi aut compelli jure potest, ut invitus vendat vel emat,

l. 11. 12. & 14. C. *de contr. empt.* & cit. l. 16. C. *de jur. delib. l. 7. ff. de rei vind.*

nisi fortè testamentô jussus, vel ratione communionis, vel propter sævitiam.

l. 66. fi. *de legat. & fideic.* I. l. 13. & 17. ff. *de act. empt. vend.* §. 2. Inst. *de his qui sunt sui vel alien. jur.* & l. 2. ff. eod. tit.

vel ut publicæ mediæ aut alteri cuicunque civitatis ne-

necessitati consulatur, persoluto tamen & accepto, quod summus imperans secundum æquitatis normam definiverit, rei emptæ vel venditæ pretio.

l. 1. §. 11. ff. *de off. præf. urb.* l. 1. C. *de Episc. aud.* l. 3. ff. *de l. Jul. de annona.* conf. Syntag. commun. Opin. T. 1. L. IV. tit. 25. §. 118. *de contr. empt.* p. m. 625. Mynsing. cent. V. observ. 27. &c.

Concedo liberè omnia hæc contractus *emptionis venditionis* ineundi requisita, quantum personarum contrahentium voluntatem attinet, *à Lampsiniis & Consilii maritimi Amstelodamensis deputatis* observata, contractumque præfatum *mutuo, libero,* &c. *consensu, de re certâ & pretio in numerata pecunia persolvendo* factum fuisse, Personas quoque prænominatas nec naturâ nec lege prohiberi contrahere fateor: ast cum *hic contractus emptionis venditionis bonæ fidei sit,*

§. 28. Inst. *de act.* l. 1. ff. *de act. empt. vend.*

omnem dolum fugiat, & ob id, si contractui causam dederit, rescindi possit,

l. 34. §. 3. ff. *de contr. empt.* l. 5. C. *de rescind. vend.* l. 7. ff. *de dol. mal.* l. 3. ff. *pro soc.*

Consilii maritimi Amstelodamensis deputati, tanquam *emptores,* rei in contractum deductæ & quà rem respicit *venditorum* conditionem accuratius examinare debuissent, quia emptor, juxta communem jurisperitorum sententiam, curiosus maximè sit oportet, ut, *quod jus venditor ad rem vel in re vendita habeat,* rescisat.

v. Paul. de Caſtro. vol. II. conſ. 335. Barbat. vol. II. conſ. 56. col. 9. conf. Urb. Diet. Luendecke diſp. *de curioſitate c.* IV. §. 48.

Nam etſi poſſint vendi res omnes, quæ æſtimationem recipiunt & in commercio ſunt, ita ut alienari queant res ſive *corporales* ſive *incorporales*

arg. l. 6. & 17. C. *de hæred. vel act. vend.*

Univerſales ſive *particulares; præſentes* vel *futuræ; propriæ*,

arg. l. 2. §. 9. ff. & l. 6. C. *de hæred. vel act. vend.* l. 8. & 34. §. 2. ff. *de contr. empt.* & l. 8. ff. *de hæred. vel act. vend.* l. 34. §. 4. ff. *de contr. empt.*

vel etiam *alienæ;*

l. 28. ff. *de contr. empt.*

poſterius tamen ita ſaltem procedere notum eſt, non, ut dominium invito domino auferatur, ſed ne impediatur contractus emptionis venditionis uſu ſuo frequentiſſimus, ſi *bonæ fidei emptor venditorem* ad probationem dominii compellere velit, atque ea propter, cum poſſeſſores rerum ſuarum, etiam juſtiſſimo titulo comparatarum dominium ſibi non ſemper polliceri queant, ſufficere voluerunt leges, ſi vacuam poſſeſſionem cum evictione *venditor* præſtet ſic ut ante evictionem fruſtra quæratur, ſitne res propria an aliena?

l. 25. §. 1. & l. 52. in fin. ff. *de contr. empt.* l. 11. §. 2. ff. *de act. empt.* conf. Mehlbaum. *de contr. empt. vend & Act. empt. vend.* Th. 6. lit. c.

Sed,

Sed, quô id valeat, bonâ fide, ut dixi, invicem contractum fuisse constare debet, Secus enim est in *malæ fidei venditoribus & emptoribus*; siquidem (1) *venditor* sciens rem alienam esse nec *emptorem specialiter, clarè & non obscurè*,

l. 39. ff. *de act. emp.* l. 43. §. 2. *de contr. empt.*

certiorem inde faciens *falsum* committit,

l. 30. in fin. *de act. empt.*

& *emptori* ignoranti ad omne interesse obligatur;

juxta l. 1. & 39. ff. *de act. empt.* l. 23. C. *de evict.*

cum ê contrario *venditor* rem alienam esse ignorans saltem teneatur, quanti minoris *emptor* fuisset empturus, si sciviſſet,

l. 1. §. 2. & l. 61. ff. *de ædil. edict.*

(2) Sic etiam *emptor* sciens rem esse alienam, quæ in contractum deducitur, *doli venditoris* participem se reddit, dum *ex aliena jactura lucrum quærit*,

l. 17. §. 4. *de* ff. *inst. act.* l. 44. §. 27. col. 31. ff. *de doli mali.* l. 7. §. 1. ff. *de except.*

& *rem venditam* non tantùm *restituere tenetur, sed ne pretium quidem, quod dedit, nisi subsecuta sit evictionis stipulatio, repetere potest.*

l. 28. C. *de evict.* & arg. l. 13. C. *de jur. dot.*

(3) *Emptor* quoque, si rei venditæ conditio publicè nota vel facile & absque *venditoris* admonitione cognosci potest, *ejus quô cum actum gerit, & rei, de qua contrahit, qualitatem nosse præsumitur, suamque culpam vel negli-*

gentiam, si damnum patiatur, *accusare debet*, *quod se non diligentius informaverit*,

v. Paul. de Castro vol. II. conf. 335. & Alex. vol. II. conf. 103. & vol. V. conf. 6.

quia *vigilantibus jura non autem negligentibus scripta sunt.*

l. 24. in fin. ff. *quæ in fraud. cred.*

Hinc si ex amussim contractum *Lampsinorum* & *Consilii maritimi Amstelodamensis deputatorum* examinare quis velit, haud difficulter ex tota ejus connexione malâ fide & dolo, respectu tertii seu veri domini, illum non parum laborare patebit. Adquisitio nimirum insulæ TOBAGO Celsissimæ domûs Curlandicæ legitima, ceu præcedenti Cap. II. & hujus capitis §. 2. ostensum fuit, adeò apud omnes pervulgata est, ut nec *venditores* nec *emptores* illam ignorasse præsumi jure possint, præcipuè si posteriorem & recentem Celsisimi Curlandiæ Ducis, expeditionem ad TOBAGO hanc circa annum 1680. susceptam & sexennem continuam ejus possessionem intueamur. Clausula quoque hæc contractui inserta, *emptores non examinaturos forè*, *quo jure titulove* TOBAGO *insulæ dominium venditores sibi competere contendant*, indicare quasi videtur, *emptores* prætensionis Curlandicæ non ignaros extitisse, adeoque *dolum venditorum*, qui ex aliena jactura lucrum quærunt, & ipsis nocere fas est; quia, *si emptor accessione auctoris utitur*, *æquissimum visum est*, *eum qui ex persona auctoris uti-*

utitur acceſſione, pati dolum auctoris, & peræque traditur rei quidem cohærentem exceptionem *etiam* emptori *nocere:*

l. cit. 44. §. 27. ff. *de dol. mal.*

Atque inſuper ea propter TOBAGO inſulæ dominium Celſiſſimo Curlandiæ Duci nullatenus hoc contractu ſubduci & prædictis emptoribus adquiri potuit, ſiquidem (1) jure tam naturali & gentium, quam civili, de *rebus alienis* quibus jus tertii læditur, *vani* cenſentur *contractus*,

l. 6. & 7. C. *de reb. alien. non alien.* conf. Puffendorf. de J. N. & G. c. 13. §. 5.

Quia *conditionem alterius meliorem quidem facere licet, minus verò deteriorem.*

l. 39. ff. de negot. geſt. l. 2. ff. quod vi.

& *pacta, quæ contra leges, conſtitutiones vel bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris eſt.*

l. 6. C. *de pactis*, & l. 7. §. 7. ff. *eod. tit.*

Et ut ut, (2) *res aliena*, ceu dictum, *emptione venditione diſtrahi queat*, lege tamen, *emptori eandem iterum* à priori & vero domino *auferri poſſe*, cautum etiam legitur:

l. 28. ff. *de contr. empt.*

cum quod *prior dominus actionem habens ad rem recuperandam, eam in bonis ſuis habere intelligitur*,

l. 52. ff. de A. R. D. l. 49. & 143. ff. de V. S. l. 15. ff. de R. J.

tum *quod nemo plus juris ad alium transferre poſſit, quam ipſe habet*,

l. 54. & 120. ff. de R. J.

adeo-

adeoque *si quis dominium in fundo habuit, id tradendo transferat; si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transferat.*
l. 20. ff. de A. R. D.

Nisi causam usucapiendi.
l. 46. & 48, ff. de A. R. D. & l. 47. ff. *de contr. empt.*

Quis ergo non videt *Consilio Maritimo Amstelodamensi* nihil adquiri potuisse vel adquisitum fuisse? Nam primo nullo juris & æquitatis titulo *venditorum*, id est *Lampsinorum*, fundatam esse prætensionem præcedenti §. qui hæc repeti potest, latius enarravi; atque ideo non amplius, quam ipsi habuerunt transferre in *Consilium maritimum Amstelodamense* potuerunt. Deinde *Lampsinos* alieni fundi & quidem Duci Curlandiæ Celsissimo jure optimo competentis possessionem invasisse & aliquandiu usurpasse præcedenti cap. II. §. 4. 5. seq. commemoratum est. Cum igitur præter hoc factum jus planè nullum aliud in TOBAGO nostram habuerint, certò etiam consequitur, non nisi idem in *emptores* sæpius nominatos transcribi potuisse. Hoc autem firmum *emptoribus* insulæ venditæ dominium adjudicari rationes præmissæ vetant, & *Invasores* insuper *locorum, si vi eadem invasisse illos constiterit, pœna legitima teneri, si verò per errorem aut incuriam domini loca ab aliis possessa sint, sine pœna possessionem interdicto restitutorio momentariæ possessionis vero domino restituendam esse* leges volunt,
l. 5. 6. 7. & 8. C. *unde vi.*

Nam Justinianus noster Aug. *non concedens aliquem*

alienas

alienas res vel possessiones per suam auctoritatem usurpare, sancivit, talem possessorem uti prædonem intelligi & generali jurisdictione teneri ea, quæ pro restituenda possessione contra hujusmodi personas veteribus declarata sunt legibus. Ridiculum enim *est dicere vel audire, quod per ignorantiam alienam rem aliquis quasi propriam occuparit. Omnes autem alii scire debent, hoc ad alios modis omnibus pertinere: cum talis depositio in furti actione jam dudum veteribus legibus definita est, dicentibus, si quis alienam rem adversus domini voluntatem attigerit,* furti actione *teneatur: his videlicet, quæ super recipienda possessione à nobis disposita sunt, locum habentibus, si non ex die, ex quo possessio detenta est, triginta annorum excesserint curricula,*

l. II. C. cit. tit. conf. §. 2. & 3. Inst. *de usuc. & long. temp. præscr.* Guil. Grot. *de principiis Jur. Nat.* C. XIII. §. 5. & quæ præced. §. hujus Cap. annotavi.

Atque hæc æquitatis ratio eo usque extenditur, ut non modo invasores & malæ fidei possessores, qui ultra rei compensationem ex facto suo tenentur,

v. Socin. Jun. vol. 1. Conf. 89. n. 22. Paul. de Castro in rubr. ff. *de op. nov. nunt.* n. 4. Grot. d. J. B. & P. l. II. C. 10. §.

Sed & *bonæ fidei emptores* rem alienam venditam vero domino restituere teneantur nec ab illo pretium erogatum repetere possint.

Arg. l. 22. ff. *de pet. hæred.* col. l. 39. ff. *de usufr.* Item l. 3. & 23. C. *de rei vind.*

Hinc nullum jus *Consilio Maritimo Amstelodamensi* competere apparet, quia, ceu monstratum fuit, de re aliena contractus non valet, & Celsissimo Curlandiæ Duci rem suam vindicanti, eandem, si vel maximè etiam bonæ fidei emptores dicendi forent, absque pretio restituere & gentium & civili in Belgio recepto jure obligantur. Nam etsi ab illis præscribi insulam posse concederem, posteriori tamen Curlandorum insulæ apprehensione & recuperatione, possessionem illam *emptorum* interruptam fuisse inter omnes clare satis constat. Solis igitur Celsissimis Curlandiæ Ducibus optimô jure TOBAGO Insulæ Dominium asseri, nemini jure in controversiam vocare licet : ipsos quoque Celsos & Præpotentes Belgii Confœderati Ordines si injuria & vis â *Lampsiniis* Celsissimæ Domui Curlandicæ illata decenter fuerit repræsentata, æquum laturos fore judicium, de illorum quasi securus justitia, certo mihi polliceor.

§. IV. Serenissimum ac Potentissimum Galliæ Regem Celsissimæ Curlandiæ Domui ejusque negotiationi TOBAGO insulam spectanti superioris seculi annis 98. & 99. per suum in Anglia legatum, *Comitem de Tallard*, protestatione interpositâ, adversatum fuisse supra C. II. §. ult. memoravi & rationem politicam facti hujus probabilem adjeci. Belli jure TOBAGO insulæ dominium Regis Galliæ Majestatem sibi vindicare videri hujus capitis

pitis §. 1. paucis quidem, aſt non absque prægnanti ratione, monui. Nam hoc argumento Gallicam fundari prætenſionem, præfatæ Regiæ Majeſtatis ad Celſos & Præpotentes Belgii confœderati Ordines legatum dominum *de Bonrepos* anno 1699. haud obſcure mihi declaraſſe bene adhuc memini, Celſiſſimumque Curlandiæ Adminiſtratorem confeſtim certiorem ea de re faciendum curavi. Non dubito igitur pleroſque ridiculum arbitraturos fore, jus Celſiſſimæ Domûi Curlandiæ in TOBAGO inſulam competens contra Potentiſſimum Galliæ & maximum inter Europæ Reges legibus evincere velle, neque adeò perfrictæ frontis ſum ut vel mente ſaltem concipere auſim, tantam vim demonſtrationem meam habituram eſſe ut Regem Potentiſſimum Galliæ movere queat, quô minus Celſiſſimum Curlandiæ Ducem Inſulæ ſuæ poſſeſſionem repetentem impediat: Aſt cum nemini vitio ducatur ſi quas partium cauſas æquâ lance ponderet, nec mihi prohibitum iri puto, prætenſionem Gallicam ad naturalis & Gentium moratiorum divinique juris amuſſim expendere atque æquis dijudicandam arbitris ſiſtere. Atque primo quidem id inficias iri nequit, *Gallos* anno 1666. *Anglos*, & anno 1677. *Hollandos* TOBAGO inſulæ poſſeſſione bello ſcilicet, quod priori illo tempore inter Sereniſſimum & Potentiſſimum M. B. Regem; poſteriori autem inter

Celsos ac Præpotentes Belgii confœderati Ordines & Sereniſſimum ac Potentiſſimum Franciæ Regem exortum fuiſſe conſtat, exuiſſe. Supra quoque bello ex juſtificis cauſis ſuſcepto rerum, quæ hoſtium ſunt, Gentium jure dominium rectè adquiri conceſſum fuit.

v. §. præced. II. memb. III.

Sed ipſâ æquitate Gentiumque moratiorum conſuetudine requiritur (1) ut, *quô res belli jure occupantis fiat, hoſtium fuiſſe pateat.* Nam *res quæ hoſtium non ſunt, etſi apud hoſtes reperiantur capientium non fiunt, quia id nec naturali juri congruit nec Gentium jure introductum eſt,* atque *jus hoc mutandi per vim dominii odioſius eſt, quam ut produci debeat.*

v. Hug. Grot. de J. B. & P. L. III. c. 6. §. 6. & 26.

Hanc Romanos etiam ſecutos eſſe ſententiam & Pruſiæ Regi Bithyniæ, Antiochi bello devicti agrum, quem Galli poſſidebant, ſibi dari â Senatu petenti reſpondiſſe præter alia relatum legitur: *Si ager Antiochi non fuiſſet, eô ne populi quidem Romani factum apparere.*

v. Liv. L. XLV. c. 44.

Jus Romanum quoque *injuria* ſeu *nullo jure* (ſcilicet â piratis vel latronibus & injuſtis hoſtibus, qui illis pares cenſentur) *capta* ſeu *erepta aliquando nunquam in dominium tranſire capientium*

l. 24. ff. *de captiv. & poſtlim. reverſ.*

&

& *cum recepta fuerint sine distinctione pristinis Dominis, qui eorum dominio non excidisse habentur, restituenda esse statuit.*

Arg. l. 20. & 27. ff. *de captiv. & postlim. reversi.* l. 12. C. *eod. tit.*

Et certe *si bonum & æquum inspiciamus, dominium rerum captarum, nulla lege neque divina, neque humanâ, à veris dominis in eum, qui justus hostis non est, transire posse sed recuperatas ejusmodi res omnino dominis restituendas esse* sana ratio & æquitas dictitat,

v. Balth. Ayala de Jur. & off. belli L. I. c. 5. n. 39. p. m. 90.

idque in *immobilibus, quæ ad hostes non pertinebant*, maximè locum habere communis opinio est.

v. Covarruv. in regulam Peccatum Part. II. §. 11. conf. Grot. de J. B. & P. L. III. c. 16. §. 1.

Etsi igitur *Consilium Maritimum Amstelodamense*, bello anno 1672. exorto atque durante adhuc insulam Tobago â Lampsiniis anno 1676. emerit & possederit, supra tamen cap. II. §. 2. & 6. Ut & §. 2. præcedenti *Venditores* injustè propriam Celsissimi Curlandiæ Ducis terram invasisse nec propterea vendere illam potuisse monstratum est. Nam *nemo potest*, inquit Seneca, *quod non habet dare.*

L. V. de benef. c. 12.

& siquis ejusmodi dominio, nempe translato, *adversus eum cui res malo facto erepta est, utatur, faciet non probè*, ait Grotius.

v. loc. cit. §. 1.

Ergo non â Dominis insulæ sed malæ fidei emptoribus & possessoribus Classis Sereniſſimi Regis Galliæ præfectum dominum *d'Estrè* recepisse illam nemo non videt. Hinc durum foret illorum, si quæ fuit, culpæ effectum Ducem Curlandiæ Celsiſſimum sentire debere. Si enim Sereniſſimus & Potentiſſimus Franciæ Rex juſtam Celsis ac Præpotentibus Belgii confœderati Ordinibus eorumque subditis bellum inferendi causam habuit (de quâ mihi privato arbitrium ferre neutiquam licet) illorum res quidem capere & præsidium quoque in insula TOBAGO collocatum inde expellere, non verò Celsiſſimi Curlandiæ Ducis, utpote tertii innoxii, conditionem reddere deteriorem ejusque rei injuriâ olim amiſſæ dominium jure sibi arrogare potuit. Jure nimirum non Civili saltem sed naturali quoque *iniquum esse* putatur, *ut alieno odio alius prægravetur*

Arg. l. 33. §. 1. C. *de inoff. testam.*

& juſti Imperatores Arcadius atque Honorius *ibi esse pœnam* sancivêre *ubi est noxia. Peccata nempe suos teneant auctores; nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.*

l. 22. C. *de pœnis.*

Nam ut ut *Consilii Maritimi Amstelodamensis* præsidium insula expellere Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Galliæ jus habuerit, non tamen belli jure ejus adqui-

quisiviſſe dominium exiſtimandus eſt, quia, ut dictum, non hoſtium ſuorum propria, ſed Celſiſſimo Curlandiæ Duci nullo jure erepta fuit. (11) eo ipſo bello, quod anno 1672. & ſequentibus â *Galliæ* Regis Majeſtate cum Celſis ac Præpotentibus Belgii confœderati Ordinibus eorumque amicis & fœdere junctis geſtum eſt, illi cum Sereniſſimis ac Potentiſſimis *Magnæ Britanniæ* & *Poloniæ* Regibus pacem & amicitiam interceſſiſſe certò ſatis cognitum eſt, quâ Celſiſſimum Curlandiæ Ducem quoque comprehenſum fuiſſe arbitror; quia, ſive perſonam & Ducatus ejus intueamur, feudi nomine Regi *Poloniæ* obligatur, ſive inſulam TOBAGO reſpiciamus, *Magnæ Britanniæ Regis protectione* utitur fruiturque, atque adeo talis vinculi reſpectu amicitiæ Suæ Majeſtatis *Francicæ* particeps extitiſſe meritò habendus eſt. *Chriſtianiſſimo* igitur *Rege*, cujus majores multis abhinc ſeculis ob pietatis & juſtitiæ famam nomen id inſigne & præclarum conſecuti fuêre, *dignum & Chriſtianum* verè *facinus* foret, ut Celſiſſimo Curlandiæ Duci amico & ſocio inſulam TOBAGO, tanquam priſtino & legitimo ejus Domino, reſtituendam potius curaret, quam, quo minus hoc fiat, impediret. Romani ſanè Orbis cogniti maximæ partis ferè Domini & victores, *non ſolum ſi cum latronibus & piratis, ſed etiam ſi cum juſto hoſte res eſſet, ſæpe ea, quæ in præda fortè facta inveniebantur*

tur fuiſſe amicorum vel ſociorum, etſi mobilia, quod majus eſt, priſtinis jubebant reſtitui dominis. Sic enim *Volſcis* ad deditionem compulſis caſtrisque illorum expugnatis *ſua cognoſcentibus* Latinis & Hernicis *reddidère*,

v. T. Liv. Hiſt. L. IV. c. 29.

& *Scipio* Carthagine *captâ*, *quæ repleta erat ſtatuis donariisque Græcanicis ê Siciliâ advectis, edixit, ut ê ſingulis urbibus venirent, qui ſua dignoſcerent & auferrent.*

v. Plutarch. apoph. T. II. oper. p. m. 200.

Quod immobilia ab illegitimis hoſtibus aliis erepta & â juſto hoſte recepta priſtinisque dominis iterum reſtituta attinet, *Camilli* æquitas exempli loco heic ſufficere poterit, *qui* Sutrinis *oppidum inviolatum integrumque ab omni clade belli reddidit: quia non captum ſed* Etruſcis *traditum per conditiones fuerat.*

v. Liv. Hiſt. L. VI. C. 6.

Etſi enim hæc â ſola Imperatorum benignitate potius, quam ullo jure, rerum bello amiſſarum reſtitutio profecta fuiſſe cenſeri queat

v. Balth. Ayala l. & c. cit. n. 39. in fin.

Cum, *quæ hoſtibus juſto bello per nos erepta ſunt, jure non poſſint vindicari ab his, qui ante hoſtes noſtros ea poſſederant & bello amiſerant;*

v. Hug. Grot. L. & C. cit. § 7.

probè aſt tamen præallegatorum conſiderandas ac diſtinguendas eſſe reor circumſtantias. Nam, quod *Latinos Hernicos* atque *Sutrinos* attinet, duos illos priores

populos

populos *post pugnam ad lacum* Regillum *factam per annos prope centum nunquam ambiguâ fide in amicitiâ populi Romani fuisse*, hos autem, *Sutrinos*, nempe, ejusdem *populi* Romani *socios* dici relatum legitur;

v. Liv. L. VI. c. 2. & 3.

Ex ex supra citato *Livii* L. IV. c. 29. apparet, res mobiles fuisse, quæ Latinis atque Hernicis restitutæ memorantur; siquidem castris *Volscorum* expugnatis, *prædæ in iis repertæ pars ad* Latinos & Hernicos *spectans reddita* dicitur. At verò res mobiles facilè distrahi & non rarò ab Imperatoribus olim militibus dividi solebant

v. Grot. L. & c. cit. § 17.

indè difficilior illarum vel recuperatio vel certè distinctio existimari debet. Majus igitur justitiæ & æquitatis Romanæ argumentum exinde elucet, quod non minus res, quæ facilè ab hoste dissipari poterant, *Latinis* & *Hernicis* suas inter prædam cognoscentibus, quam *Sutrinis* oppidum ab *Etruscis* recuperatum, reddi *inviolatum* curarunt. Rationem hujus divi Imperatores *Arcadius* & *Honorius* postea explanarunt, *militem* Romanum *sociorum* ab illegitimis hostibus oppressorum *defensorem esse decere*, *non dominum*, atque ideò jure pristinis dominis restituendas esse res ereptas putarunt, cum *receptæ*, *non captæ*, *judicari debeant.*

l. cit. 12. C. *de poſtl. reverſ. & redempt.*

Si verò quid tantùm benignitati aut generoſitati Imperatoris tribuendum eſt, id ex ſolo Magni Scipionis facto elici ſaltem poterit, qui *Carthagine* captâ ſingulis urbibus â quovis hoſte erepta dignoſcentibus reddi juſſit. Cum igitur juſtitiæ & naturalis æquitatis ratio ſuum cuique tribuendum & vi injuſta alteri erepta ab eo, qui illa recepit, non ſociis ſaltem & amicis, ſed cuivis domino legitimo, non hoſti, reddenda eſſe ſuadeat, Regem Galliæ Sereniſſimum ac Potentiſſimum injuſtum adeò concipere nequeo, ut ex principis potentiâ longè minoris, non hoſtis, & qui ſuam Majeſtatem non offendit, damnô lucrum ſuum quærere velit. Nam etſi Celſiſſimus Curlandiæ Dux TOBAGO inſulæ poſſeſſionem aliquoties amiſerit, nullo attamen jure illam propterea alienaſſe vel ejus dominio excidiſſe ſtatim, juxta rationes ſupra allegatas, exiſtimari poteſt

arg. l. 119. ff. de R. I.

Sed ponamus juſto quoque bello, quod tamen oſtendi neutiquam poterit, inſulæ præfatæ poſſeſſionem & quod majus eſt dominium amiſiſſe; nonne maximum inter Europæ Reges Galliæ Monarcham deceret, *Romanos* licet ethnicos benignitatis & generoſitatis exemplo famâve ſuperare; præcipuè cum glorioſò illo Chriſtianiſſimi nomine gaudeat, & patre

juſti

juſti nomine per univerſas Europæ regiones celebrato, quique ſubditos ſuos alienas, ſeu principi cuidam Chriſtiano ſubjectas, occupare terras vetabat, progenitum ſe videri velit. Nunquam certè vel alienandi vel ullo more derelinquendi inſulam Celſiſſimo Curlandiæ Duci mentem fuiſſe præcedenti certè §. 2. prolixè oſtenſum dedi. Sive igitur juſtitiam & æquitatem, ſive Regiam ſpectemus clementiam & benignitatem, priorum reſpectu Sacram Regis Galliæ Majeſtatem TOBAGO inſulæ dominium belli jure adquiſitum ſibi vindicare non potuiſſe, poſteriorum intuitu autem noluiſſe videtur. Nam, ſi quæ æqui bonive ratio habenda eſt, inſulam præfatam â *Lampſiniis* & qui in eorum poſtea locum venêre, injuria ſeu nullo jure Celſiſſimæ Domui Curlandicæ ereptam atque â Sereniſſimi Potentiſſimique Galliarum Regis claſſe recuperatam, naturali & gentium jure etſi non ſocio reſtituendam eſſe præmiſſa videntur evincere argumenta. Atque ea propter tantò magis juſtitia & æquitas pro Celſiſſimi Curlandiæ Ducis Socii & amici, ut antea monſtravi, prætenſione hôc in caſu militabit. Aſt ponamus adhuc jure TOBAGO inſulæ dominio Sacræ Regis Galliæ Majeſtati abſtinendum non eſſe videri; annè Romanorum, (ad quorum adſpirare faſtigium nititur) exercitûs Imperatore magno illo Scipione minorem ſeu minus benignum ſe

existimari velle Regem Galliæ credendum est? Sanè absque partæ hactenus gloriæ insigni diminutione ac labe fieri id posse neutiquam mihi persuadere queo, præprimis cum præsente juris argumento, tanto splendidius sit donare, quanto iniquius jure repetitum denegare. (III) Præterea naturali & gentium jure etiam legitimè & justè tunc demum rei immobilis adquisita habetur possessio, quando is, qui bello eam capit, *non adfectione & animo sibi habendi* solum, *sed & corpore velut actuque terræ abs eo semel apprehensæ insistit, eamque corporaliter* præsidio nempe impositô, *detinet, & de illa actu*, inter privatos nempe agros partiendo, vel aliô quôvis more consuetô, prout id natura rei patitur, *disponit*

v. illustr. Puffendorff. de J. N. & G. L. IV. c. 9. §. 7.

Agri enim, ut Magni Grotii verbis utar, *non statim capti intelliguntur simul atque insessi sunt. Nam quamquam verum est, eam agri partem, quam cum magna vi ingressus est exercitus ab eô interim possideri, ut à* Celso *notatum est*,

l. 18. §. 4. ff. *de acquir. poss.*

tamen ad eum, quem tractamus effectum, non sufficit qualiscunque possessio, sed firma requiritur. Itaque Romani extra portam agrum, quem Annibal castris insidebat, adeò non amissum judicabant, ut eô ipso tempore nihilo minoris venierit, quam antea venisset.

v. T.

v. T. Liv. Hist. L. XXVI. c. 11.

Is ergo demum ager captus censebitur, qui mansuris munitionibus ita includitur, ut nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit. *Et hæc non minus probabilis videtur nominis* territorii *origo* â terrendis hostibus â Siculo Flacco *allata*, *quam illa* Varronis *à* terendo, *aut* Frontini *â terrâ*, *aut* Pomponii *JCti â* terrendi jure, *quod habent magistratus. Sic* Xenophon, *libro de vectigalibus*, *agri possessionem belli tempore ait retineri per munimenta*, *quæ* τείχη καὶ ἐρύματα *ipse appellat.*

v. L. III. de J. B. & P. c. 6. §. 4.

Atque hoc etiam â *Consilii Maritimi Amstelodamensis* ad Tobago nostram manu militum transvecta dominorum seu, ut vulgò dicitur, principalium suorum nomine observatum legitur. Nam etsi emptio venditiove §. 3. præcedenti memorata jure nullô subsistat sed irrita planè sit, possessioni attamen soli alieni arreptæ constructo munimento adversus quoscunque conservandæ operam navarunt. Ast Sereniſſimi ac Potentiſſimi Galliæ Regis duces, expulso primâ vice Anglorum, ac postea Hollandorum, seu potius *Consilii Maritimi Amstelodamensis*, præsidio, incensis dirutisque omnibus sive ædibus sive plantationibus & munimentis, insulâ, ne homine quidem ejus custodiendæ gratia relicto, & flagrante adhuc maximùm Martis fulmine, discesserunt. Quis ergò

animum adquirendi insulam TOBAGO Gallos habuisse dicere vel concipere saltem ausit? Malè enim terræ cujusdam armis occupatæ atque durante adhuc bello iterum absque necessitate nulloque imposito præsidio derelictæ possessionem vel dominium sibi quis spoponderit, siquidem belli semel initi eventus dubii hostisque reiterata vice libero patente aditu illam ingrediendi facultatem habere existimandus sit. Ut ut enim jure Romanorum Civili possessio *solo retineri queat animo, si firma capienti stet sententia possessionem sibi integram servare, etsi corpore ex ea demigraverit,*

l. 3. §. 7. & 11. l. 6. in fin. & l. 30. §. 5. ff. *de acquir. poss.*

id tamen nullatenus sub ulla juris specie ad præsentem casum applicari poterit. Nam præterquam quod leges præallegatæ imprimis de vero domino & bonæ fidei possessore, qui vel necessitatis vel alterius negotii causa ex fundo suo cum animo, quam primum posset, redeundi decesserit, intelligendæ sint, non autem de illo, qui ita *possessionem nactus est, ut eam retinere non possit,*

l. 22. ff. *de acquir. poss.*

siquidem *non possideri, quod jure avocari vel revocari potest*

l. 3. pr. ff. *de act. emp. vend.* l. 29. §. 3. ff. *de legat. & fideic.* III. l. 14 §. 12. ff. *de usurp. & usuc.*

nec

nec excluſus, qui in integrum reſtitui debet,
l. 5. ff. *de in integr. reſtit.*
nec receptum videtur, quod reſtituendum eſt;
arg. l. un. C. *uti poſſidetis.*
longe aſt tamen alia in bello captis ratio prævalet; nimirum quia *illa eo uſque tantùm noſtra eſſe intelliguntur, donec noſtra cuſtodia coërcentur,*
arg. l. 3. §. 2. ff. de A. R. D.
niſi fortè, *quod in juribus negativis inſtar poſſeſſionis eſt, alteri quis prohibuerit vel contradixerit, ne poſſeſſionem pro tempore derelictam occuparet, atque is prohibitione vel contradictione illa adquieſcat, aut ſi, qui poſſeſſionem habuit, occupatam ab alio ignoraverit.* Tum enim jure nec *ignoranti poſſeſſio tolli,*
l. 46. ff. *de acquir. poſſ.*
nec *ei, qui animo ita deſinit poſſidere, ut propter ſuſpicionem, ſe ab illo repelli poſſe, qui poſſeſſionem ingreſſus fuit, longo tempore non revertatur, conſervari poterit.*
arg. l. 25. ff. *de acquir. poſſ.*

Aſt neutrum heîc contigit, ſiquidem Sereniſſimus Potentiſſimusque Franciæ Rex TOBAGO inſulam nec impoſito præſidio, ceu dictum, ſuâ tanquam cuſtodia coërcuit, nec Celſiſſimo Curlandiæ Duci poſt pacem Neomagi concluſam, Protectoris ſui, Sereniſſimi ac Potentiſſimi M. B. Regis Caroli II. conſenſu coloniam ad TOBAGO hanc mittenti eamque continuo ſex annorum ſpatio corporaliter poſſidenti vel

vel ſyllabâ unâ contradixit. Unde non vero ſimile penitus videtur ejus ſibi unquam vindicare voluiſſe proprietatem. Inſuper temporanea & brevis illa Gallorum poſſeſſio, poſteriori, juſtiori & longiori Curlandorum interrupta fuiſſe cenſenda ſanè eſt. (IV.) Tandem rerum bello captarum dominia ultimam demum, juxta noſtri temporis methodum, firmitatem adquirere conſtat, quando is, cui illæ fuêrunt ereptæ, per pacem ad eaſdem juri ſuo renunciat. Aſt quod primam expulſis Anglis occupationem inſulæ TOBAGO per Gallos attinet, pace Bredanenſi reſtituta iterum illa videtur.

v. du Tertre Hiſt. Gen. Antil. inſ T. IV. c. 12. §. 1. p. m. 321. ubi art. XII. inſtrumenti pacis, hæc leguntur verba: *Que le Roy* Tres-Chreſtien *reſtituera en la maniere ſuſdite au Roy* de la Grande Bretagne, *les Iſles* d'Antigoa & Montſarra (*ſi elles ſont encore en ſa puiſſance*) *comme auſſi toutes les autres Iſles, païs, fortereſſes & colonies, qui auront pu eſtre conquiſes par les armes dudit Seigneur Roy* Tres-Chreſtien *avant ou aprés la ſignature du preſent Traité, & leſquelles ledit Seigneur Roy* de la Grande-Bretagne *poſſedoit avant que la guerre, qui finit par ce preſent Traité, fuſt declarée aux Seigneurs Generaux des Eſtats confederez* &c. conf. C. II. præced. §. 6. p. D. 28. ſeq.

Quod verò poſteriorem, dejecto *Conſilii Amſtelodamenſis* præſidio, apprehenſam TOBAGO præfatæ poſſeſſionem reſpicit, nec pace Neomagienſi

gienſi nec ulla alia ejus ſibi proprietatem Sereniſſimum ac Potentiſſimum Galliæ Regem, adquiſitam vel ſyllabâ caviſſe vel cavere voluiſſe, ex ipſis unius alteriuſve pacis concluſæ tabulis abundè cognoſci poterit. A malevolis quibusdam fortè Sacra Regis Chriſtianiſſimi Majeſtas, non rectè de vero TOBAGO inſulæ ſtatu & conditione inſtructa, eò uſque permota fuit, ut Veſtræ Celſitudinis propoſito, per legatum ſuum in Anglia illuſtrem Comitem de Tallard ſe opponeret, atque contradiceret; neque dubito ſi Veſtræ Celſitudinis jus, & ea quæ illi cohærent, decenter ſuæ Majeſtati fuerint demonſtrata, æquius in poſterum illam judicium laturam atque Veſtræ Celſitudini quietam inſulæ prænominatæ poſſeſſionem ceſſuram fore.

§. V. Ordo nunc exigit ut *Commerciorum* per Angliam *Commiſſariorum* objectiones paucis perpendamus. Nam benè heîc prænotandum duco, non â Sereniſſimo Potentiſſimoque M. B. Rege *Guilielmo* III. vel *Cancellariæ* aut *ſtatûs Conſiliariorum* illuſtri Collegio (ad quod propriè cauſarum ſeu prætenſionum, ad principes exteros & non ſubjectos, mediante quovis contractu cum M. B. Regis Majeſtate inito, ſpectantium, cognitio pertinet)

v. Arthur. Duck *de authorit. & uſ. Jur. Civ. Rom.* lib. II. c. 8. §. 10. *ſeqq.*

latâ vel ſecutâ Sententiâ Celſiſſimæ Ducum Curlandiæ Domui optimo ad TOBAGO inſulam modo adquiſitum jus peremptum, ſed ab inferiori curiâ, *Commerciorum* nempe *dirigendorum Commiſſariis* plus ſpecioſis, quam veris impugnatum argumentis fuiſſe. Nam ut ſupra C. II. §. ult. monui, in exhibitâ prædictæ Regis *Guilielmi* III. Majeſtati, ad meam (quæ ſub lit. E. annectitur) meæque Societatis petitionem, cenſurâ vel declaratione varia illis necti placuit argumenta, quibus planè Celſiſſimæ Domui Curlandicæ ad præfatam inſulam competens jus extingui aut conſumari exiſtimant. Idem illud Sacræ Regiæ Majeſtati exhibitum ſcriptum in Gallicum ſermonem tranſlatum, prout ex annexis ſub. lit. L. cognoſcere eſt, per Secretarium Statûs, N. *Wernon* aliquot ferè menſibus, poſtquam meam Suæ Majeſtati petitionem Veſtræ Celſitudinis nomine præſentaſſem, præterlapſis, communicatum fuit. Atque id tale erat, quale juxta relationem Domini *G. Stepny*, quô cum mihi privatum hâc de re colloquium fuerat, expectare aut ſperare poteram. Manibus ſertis non bene pugnandum eſt, renitentibus præcipuè illis, qui cauſam debebant defendere. Quid opis ergo inde? Melioris fati juſtitiæque expectatio. Sed rem ipſam aggrediamur. Prænominati *Commerciorum in Anglia Commiſſarii* nullam penitus juris cujusdam antece-

tecedentis, Celsissimæ Ducum Curlandiæ Domui, ipsis M. B. Regis Caroli II. literis adscripti mentionem faciunt. Dicunt tantummodo, *Thomam Warnerum* Equitem Anglicæ Coronæ nomine Tobago insulæ anno 1626. possessionem occupasse eandemque postea, ceu dictum, â suâ Majestate, Carolo II. M. B. Rege, Duci Curlandiæ *Jacobo*, sub conditionibus, supra c. II. §. 6. ex contractûs anno 1664. initi exemplo, hîc sub lit. A. adjecto, relatis, concessam fuisse, etsi ipsa dicti M. B. Regis Caroli II. Majestas, literis ad Præpotentes Belgii Confœderati Ordines anno 1671. die 16. Maji in favorem Celsissimi Curlandiæ Ducis causæ scriptis, claris testetur verbis, insulæ Tobago Dominium intermedio contractûum realium, jureque aliquo præcedenti ad Ducem Curlandiæ Celsissimum pertinere, prout in ipso hujus Epistolæ exemplari sub lit. B. legere est.

conf. C. II. §. 3.

Silentio hæc citatos *Commerciorum Commissarios* in prædicta declaratione prætermisisse patet. Ulterius illa evolvere vel repetere superfluum videtur. Benevolum lectorem ad cap. II. præcedentis §. 3. remitto. Heic miror nec mirari satis queo, cæterarum in Americâ *à Warnero* gestarum rerum seriem apud Novi istius Orbis Scriptores prolixè relatam

legi, de TOBAGO insulæ autem, quam præfati *Commerciorum Commissarii* referunt, occupatione nihil planè tradi. Disceptare quidem nolo *Warnerum* ad TOBAGO istam anno 1626. appulisse, ast tum primum ab illo eam fuisse occupatam valdè dubitaverim, cum quod ea de re gestâ cuncti taceant scriptores, tum quod pervulgata illa *Jacobi* I. M. B. Regis donatio *Jacobo* Duci Curlandiæ facta, cujus ipsi isti *Commerciorum* per Angliam *Commissarii* memoriam, (ceu C. II. §. 4. supra ostensum fuit,) repetunt, in dubium propterea vocari queat debeatque. Enim verò Sereniſſimus ac Potentiſſimus beatiſſimusque M. B. Rex Carolus II. literis ad Præpotentes Belgii Confœderati Ordines scriptis, sæpius citatis, juris cujusdam antecedentis Celsissimo Curlandiæ Duci competentis generaliter tantùm meminit, ast minimùm tamen exinde patet, non ab anno 1664. saltem Curlandicam prætensionem accersi vel derivari posse, sed antiquiorem esse. Nam Cromwelli Protectoris quondam Angliæ confirmationem præcedentis ab Angliæ Regis Majestate, prout conjicio, Duci Curlandiæ impertiti juris titulum firmiorem reddere jam antea cit. C. & §. monui. Inter omnes etiam constat primam isti insulæ coloniam non nisi â Celsissimo Curlandiæ Duce impositam fuisse, adeo ut neutiquam jus ejus solo illo contractu anno 1664. inito fundetur.

detur. Aſt poſitô, non tamen conceſſo, Sereniſſimi ac Potentiſſimi M. B. Regis conceſſione prædicto demum anno TOBAGO inſulæ Dominium ad Celſiſſimum Curlandiæ Ducem tranſiiſſe, nihilo tamen minoris Celſiſſimæ Domus Curlandicæ jus propterea habendum erit. Sufficit enim dominium inſulæ conceſſum illi fuiſſe, nec ab ipſis illis *Commerciorum Commiſſariis* inficias iri. Quod verò donationis hujuſce inſtrumenti ipſum attinet tenorem, Regia *Caroli* II. Majeſtas inibi claris verbis *Celſiſſimo Curlandiæ Duci, Heredibus & Succeſſoribus omnem & univerſam inſulam* TOBAGO *nuncupatam dare donare & concedere ſe* profitetur. Jam Juriſperitorum communis eſt ſententia, conceſſionem, in quâ verba prolata (ſc. *damus, concedimus & donamus*) non qualificata, id eſt non facta feudi mentione inveniuntur, donationem quidem nominari;

v. Old. conſ. 159. Alb. de Roſa in rubr. C. de donat. Paul. de Caſtro conſ. 159. verb. in præſenti cauſa. Alex. vol. V. conſ. 24. n. 7. D. Muſcul. vol. IV. conſ. I. n. 19.

aſt ſi conditio, *ſub qua & propter quam* aliquid donatur vel conceditur, adjecta fuerit, impropriis ſeu illis accenſeri debere donationibus, *quæ ſub modo fiunt generisque ſui normam & formam retinent, nec multum à contractibus innominatis*, (quorum formulæ ſunt do ut

des vel facias,) *differunt; ideoque etiam quod in his juris est, in illis etiam esse existimatur.*

v. t. tit. C. *de donat. quæ sub modo.* ff. & C. *de condict. caus. dat.* conf. illustris Pauli de Fuchsen Inst. Justin. T. VI. l. a C. V. n. 1. D. Cowell Prof. Oxon. Instit. jur. Anglic. tit. de donat. §. penult. & præcedenti. David. Cruf. de donat. sub causa §. 62. &c.

Atque ob hanc maximè rationem supra donationem hanc *onerosam* titulo plus politico quam juridico-Critico appellavi, quia nimirum onus dandi vel faciendi aliquid connexum habet. Deinde etiam tales sive donationes sive contractus præscriptis potissimum nituntur verbis, qui nisi in illis peccetur vel deficiat aliquid, rescindi jure nequeunt,

v. Hug. Grot. de J. B. & P. L. II. c. XII. §. 3. & 7. Puffendorff. de J. N. & G. L. V. c. II. §. 7. 8. & 9.

Actus enim non pure benefici, sed qui sub modo aut mutua obligatione concepti sunt, ex causa modi non adimpleti nullatenus vitiantur, nisi interverit culpa implere debentis & facere id nolentis, (quia hoc casu si per donatarium nempe stetit, quo minus adimpleatur modus, concessio seu donatio revocari potest,)

arg. l. 1. C. *de donat. quæ sub mod.* conf. Corneus vol. III. conf. 102.

vel sin alio casu maximè improviso quodam modus de-

deficiat aut quod donatarius monitione seu interpellatione donantis præsecuta modum implere recusaverit.

v. Corneus Vol. I. conf. 120. & 208. Aym. conf. 59. &c.

Hæc si ad *Commerciorum* in Anglia *Commissariorum* Regi M. B. Sereniſſimo Potentiſſimoque *Guilielmo* III. ad meam petitionem oppositas applicemus objectiones, parùm his illos juri Celsiſſimi Curlandiæ Ducis ad TOBAGO insulam præjudicasse vel præjudicare potuisse apparet. Sed singula breviter nunc repetamus & ad æqui bonive regulas expendamus. A Regia M. B. *Caroli* II. Majestate TOBAGO insulæ dominium, Celsiſſimæ Ducum Curlandiæ Domui donatione sub modo conceſſum denuo & confirmatum quasi fuisse supra dixi. Contractus hâc super initi exemplar sub lit. A. annexum extat. Hôc *Jacobi* Ducis Curlandiæ Celsitudo, quod dictam insulam, *de & sub Sua Majestate habeat possideatque suo Heredum & Successorum suorum nomine spondet;* (1) *se sub protectione Regia insulam possessurum nec permissurum fore ut alii quicunque præter proprios subditos suos & subditos dicti Domini Regis Heredum & successorum suorum in dicta insula commorentur ad plantationes aut domicilia ibi instituenda stabiliendaque;* (2) *Dominum Ducem neque ipsum neque Heredes aut Successores suos neque quemvis alium, in usum ejus,*

Eorum

Eorum aut subditorum suorum exportaturum importaturumve vel importari aut exportari facturum, vel permissurum esse ullas merces, bona sive productiones ejusdem insulæ TOBAGO *alias, quam extra vel in aliquos portus portuum ad Angliam Curlandiamque spectantium aut portum urbis* Gedanensis: (3) *Pro recognitione, quod Dominus Dux Curlandiæ dictam insulam* TOBAGO *de & sub dictâ sua Majestate habeat teneatque*, quot quando & quotiescunque dictus Dominus Rex, Heredes & Successores sui postulaverint NB. *tunc quando Ipse vel Ipsi bello adversus quemlibet alium Regem, Principem aut Statum, (excepto tantùm Rege Poloniæ) implicati fuerint, Dictum Dominum Ducem, Heredes & Successores suos, propriis ipsorum impensis, de tempore in tempus unam bonam navem bellicam quadraginta tormentis ferreis majoribus instructam adducturum vel adduci facturum fore, ad eum portum, stationem aut locum, quem dicta sua Majestas, Heredes aut Successores sui ullibi in Europa nominaverint constituerintque*, hâc quidem sub conditione, *ut eidem navi posteaquam ibi appulerit, dicta sua Majestas, Heredes & Successores sui Præfectos, nautas, cibaria ac stipendia auspiciis & impensis Regiis suppeditent tamdiu, quam in Ipsius vel Ipsorum servitio permanserit, quod ultra terminum unius anni una vice nunquam extendetur &c.* Hæc ipsissima contractus verba esse, L. B. videris. Hæc non integra sed mutilata â *Commerciorum Commissariis* inscripto supra citato atque hîc sub lit. L. annexo, ipse observabis.

vabis. Objiciunt nobis (1) *Conditionem licet de non admittendis aliis, præter Anglicam & Curlandicam, gentibus, conceſſioni Regiæ Caroli II. M. B. Majeſtatis adpoſitam fuiſſe adpareat, Societatem Hollandorum pro India Occidentali tamen inſulæ* TOBAGO *poſſeſſionem ad annum uſque* 1672. *tenuiſſe;* (2) *eodem anno bellum gerente Sereniſſimo Potentiſſimoque M. B. Rege cum Ordinibus Belgii confœderati Generalibus, inſulam iſtam ſolis Coronæ ſeu Regiis ſumptibus ab Anglis recuperatam fuiſſe; Ducem vero Curlandiæ neque tum neque ullo aliô tempore navem talem, qualem dicto contractu promiſerat, ſuppeditaſſe :* (3) *etſi commercium quoque ad portus Angliæ & Curlandiæ portumque urbis* Gedanenſis *reſtrictum fuerit, articulis attamen, de quibus inter* Abrahamum Marinum, *Ducis Curlandiæ Reſidentem & præfectum navis* Pointzium *die* 20. *Septembris anno* 1682. *convenerat,*

v. lit. G. in annexis

Curlandiæ Ducis nomine dicto Pointzio *& Societati ejus centum viginti millia terræ jugerum, cum & ſub facultate mercaturam per univerſum terrarum Orbem liberè exercendi neutriuſque partis permanendi, ſi,* quod Deus avertat, *bellum inter M. B. Regis Majeſtatem & Curlandiæ Ducem, aut alium aliquem Principem, Duci Curlandiæ confœderatum, exoriri contigerit, conceſſa eſſe.* Poſt hæc ita concludunt. *Conditiones haſce directô conceſſioni Regiæ prædictæ contrarias eſſe, atque protectionis Coronæ Anglicæ recuſationem*

clarè satis ostendere ; Ea propter & quoniam TOBAGO *insula post primam illam concessionem sæpius mutaverit Dominos neque Curlandiæ Dux eò, quô debebat tempore, res inibi suas stabiliverit, dictam concessionem irritam esse declaratam;* (ubi & quando tacent) *ideoque ipsis, nempe Commissariis illis præfatis videri, Regis M. B.* Guilielmi III. *Majestatem jure Ducis Curlandiæ titulum non posse agnoscere seu ratum habere, neque etiam permittere subditis suis, ut in insula ista suas constituant sedes ; siquidem, si extraneoram & ab extraneo principe dependentium instar habendi sint, nullis Plantationum aut Dominiorum Majestatis suæ, in Americâ, habitatoribus ullum legibus permittatur commercium vel amicitiam cum illis colere; & si contra inter subditos Suæ Majestatis, cum sub regimine & protectione ejus commorentur, computari debeant, pariter LLbus & decretis Parliamenti mercaturam vel negotia quævis cum Statu vel quâcunque provinciâ* extranea *tractare interdictum illis esse.* Speciem recti hæc præ se ferre primo intuitu cuivis vel sagaciſſimo videntur. Aſt quam bonis, bone Deus, concluſionibus Regem optimum circumvenerint ſupereſt, ut videamus. (1) Falſum planè eſt *Hollandorum pro India Occidentali Societatem* ante annum 1672. Inſulæ TOBAGO poſſeſſionem obtinuiſſe, &, id ipſum cum afferant *Domini* illi *Commercicrum Commiſſarii*, quam benè in inſularum *Caraibicarum* hiſtoria verſati ſint, oſtendunt. Vagam quandam de *Societatis*

pro

pro India Occidentali Hollandicæ propoſito ad illos transvolaſſe famam arbitror, & confuſis eos ſermonibus percepiſſe conjicio, Belgii confœderati gentem *Lampſinorum* inſulam illam TOBAGO aliquoties occupaſſe, & non una vice aliquandiu poſſediſſe. Confeſtim inde inferunt *Societatem Indiæ Occidentalis* poſſeſſionem ejus ad annum uſque 1672. tenuiſſe. Utinam terminum *â quô* potius deſignaſſent, quàm hunc *ad quem*; ignorantiam illorum magis adhuc propatulam fore nullus dubito. Aſt quia in dubio & ubi dies non ponitur, de præſenti ſcilicet actus peracti obſcurè dicta intelligi debere præſumitur

arg. l. 41. ff. de V. O. & l. 14. ff. de R. J.

facile illis aſſentirer, modo monſtraſſent eô ipſo anno 1664. quô â Regis *Caroli II.* Majeſtate Celſiſſimo Curlandiæ Duci *primum* (id enim colligo, quia jus præcedens Duci Curlandiæ competens, de quo ipſe Dominus Rex *Carolus II.* teſtimonium perhibet, reticent) TOBAGO inſulam fuiſſe conceſſam aſſerunt, ſub Anglorum poteſtate fuiſſe. Nam neminem fugit ante annum 1666. coloniam *Seelandorum* ſeu potius *Lampſinorum* non autem *Societatis Indiæ Occidentalis* inſulam illam uſurpaſſe, utrum verò poſteâ ab Anglis expulſa fuerit, ne verbum quidem! Quot abſurda inde ſurgant dijudicent ipſi atque alii, quibus mens eſt ſana cum corpore ſano. Nam ſi anno

1664. insulæ possessionem tenuêre Angli, Serenissimum ac Potentissimum illorum Regem juxta ipsorum illorum proprias leges, & aliorum quoque Jurisperitorum communem opinionem donare aut concedere illam potuisse Duci Curlandiæ non disputo; si verò, quod ex obscura illorum objectione inferri posset, Anglos possessionem tunc non tenuisse constaret, nonne juxta omnium gentium & Angliæ LL. etiam sequeretur, *eum, qui dat quod non habet, nihil dare?*

v. aut. of the Topicks *in the Laws of England* § 102. p. 95 conf. l. 54. ff. de R. J.

Clarius verò ipsa Regis M. B. *Caroli II.* Majestas in literis ad Belgii confœderati Ordines anno 1671. die 19. Maji pro Celsissimi Curlandiæ Ducis causa *Præpotentibus Dominis* commendanda scriptis, (quarum exemplar vide sub lit. B.) ostendit, insulam *à Præpotentum Ordinûm* subditis, *Anglis* inibi commorantibus ereptam fuisse. Hoc sufficit hocque fulcri instar esse poterit donationis eô ipso anno â Sacra Regia M. B. Majestate Celsissimo Curlandiæ Duci, Heredibus & Successoribus impertitæ. Atque ea donatione jus præcedens Curlandiæ etiam confirmatur. Porro sive *Indiæ Occidentalis Societas* sive *Lampsinii* insulam nostram possederint, etsi varias illorum periodos C. II. §. 6. tradiderim, non tamen exinde sequitur

tur culpam facti hujus Celsissimo Duci Curlandiæ imputari vel posse vel debere. Attamen prænominati *Commerciorum in Anglia Commissarii* culpam facti *Lampsinorum* hujus Celsissimo Duci Curlandiæ videntur adscribere : judicent alii quô jure , quâve injuria : Jure enim non Civili saltem , sed naturali etiam , quod æquitate ipsa nititur , nullum crimen patitur is , qui non prohibet , cum prohibere non potest.

l. 109. ff. de R. J. col. l. 50. eod.

Monstrari inquam argumentis non autem suspicionibus solis necessum fuisset , volente vel connivente Celsissimo Duce Curlandorum insulam â M. B. Regis Majestate sibi & Successoribus suis concessam *Lampsinos* vel eorum , non verò *Occidentalis Indiæ Societatis* , delegatos , antequam possessionem ejus Celsitudo Sua caperet , occupasse. Rationem injustæ conclusionis ex verbis Regiis hisce depromunt , *Ducem Curlandiæ de insulâ sibi concessa securum , non adeò , quantum debebat , ejus apprehendere possessionem properasse.* Velim syllabam contractûs vel concessionis anno 1664. peractæ mihi indigitent , ex quâ vel conjectura tantum elici queat , Ducem Curlandiæ certo , scripto , aut præfixô tempore quôdam insulæ sibi concessæ possessionem adire , accipere vel apprehendere oportuisse. Præscriptis ejusmodi pacta verbis fundari supra præmonui ; jam cum ipsi illi *Commerciorum* in Anglia *Com-*

missarii ad eadem sæpius provocent, nobis quoque ad illa licebit provocare; siquidem ubi par est causa, ibi unum idemque jus esse rectè colligitur. Hinc *Magna Charta* Anglorum benè *conventionem legi derogare* & Jurisperitorum domesticorum regulam approbare videtur hanc, *modus & conventio vincant legem & Regem & contra.*

v. W. L. 2. --- conf. aut. of the Topicks *in the Laws of England.* §. 101. cæterique ibidem citati.

Ipse Serenissimus ac Potentissimus M. B. Rex qui hæc præallegata verba solus in literis solis ad Præpotentes Belgii nostri Ordines scriptis protulit, nullô unquam tempore ejus facti *Lampsinorum* Celsissimum Curlandiæ Ducem reum postulavit. Anne igitur credendum est, culpam ejus imputatam illi olim fuisse? Melius certè fecissent, si de re hâc tacuissent; quia hæc objectio, secundum supra relatas rei gestæ circumstantias, semet ipsam refellit. Altera hæc potior videtur, *impensis* nimirum *Coronæ Anglicæ* TOBAGO *insulam fuisse recuperatam, neque verò tum neque ullo alio tempore Celsissimum Curlandiæ Ducem stipulatam suppeditâsse navem.* Sed quæso meminerint Domini illi *Commerciorum Commissarii* donationem hanc præfatam sive contractum anno 1664. initum stricti juris esse, nec ultra conditionis stipulatæ terminos extendi debere

bere: Meminerint etiam in citato contractu Celsissimum Ducem Curlandiæ navem quidem bellicam quadraginta tormentis ferreis majoribus instructam exhibiturum se promisisse, ast NB. *quot quando*; *& quotiescunque dictus Dominus Rex Heredes aut Successores Sui postulaverint, nec bellum ipsi vel ipsis cum Rege Poloniæ fuerit, utque Sua Majestas navi isti, suis impensis præfectos, nautas, cibaria & stipendia præbeat, & quod illa ultra unius anni terminum una vice in Suæ Majestatis Heredum & Successorum suorum servitio permanere non obligetur.* Cur quæso modum hunc limitibus & conditionibus certis descriptum *Domini Commerciorum Commissarii* in simplicem mutarunt? Tantum abest ut dubitem, aliâ id eos feciſſe causâ, quam ut injustis illorum argumentationibus colorem inducant aliquem. Idem hoc est, ac si donationi vel contractui perfecto novas quis adponere vellet conditiones, quod LL. Romanis (quarum justitiam & æquitatem Arthurus Duck ipse Anglus & procurator quondam Regius, laudat,

v. tr. de *autorit. Jur. Civ.* L. II. c. 8. §. 8. col. 10. 11. & 12.)

interdicitur.

v. l. 4. C. *de donat. quæ sub modo.* conf. Old. *cons.* 234.

Sane si Regis M. B. Majestas jus habuit navem, de quâ conventum est, *quot*, *quando & quotiescunque illi*

illi placuerit, â Curlandiæ Celsissimo Duce *postulandi*, nec illam tamen postulavit, culpa haud adimpletæ conditionis non isti, sed illi potius imputanda est, quia per solam Suam Majestatem, non verò Suam Celsitudinem, stetit, quo minus adimpleretur. Hinc *Jure Civili* æquissimum visum & *receptum est*, *quotiens per eum, cujus interest conditionem impleri, fit, quô minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset.* l. 24. & 81. ff. *de cond. & demonstr.* l. 161. ff. de R. J.

Regem verò Serenissimum ac Potentissimum M. B. Carolum II. vel Heredes etiam & Successores ejus unquam navem stipulatam hanc postulasse â *Commissariis Commerciorum* neutiquam ostendi vel assertum dari poterit. Transeant igitur & hæc cum cæteris erroribus. Tertio ex verbis in contractu cum *Pointzio* & societate ejus inito contentis atque antea modo descriptis extorquere quasi laborant, contra Concessionis seu Donationis Regiæ conditiones â Celsissimo Curlandiæ Duce commissum esse. Argumentum exinde petitum frigidum adeo est, ut responsione aliquâ ferè dignum non sit. Formulam illam, quâ facultas dari dicitur *per totum terrarum Orbem navigandi*, & quam adeò exaggerant, quis nescit, hyperbolen vel pleonasmum aliquem potius esse, quam conventionem, quæ ab uno alterove præstari possit contrahente. Nam (1) impossibile foret, tales ex ligno

in

in TOBAGO insulæ fundo existente, naves fabricare, quæ ad persecanda Americæ maria, nedum alia, apta sint. (2) Id quoque saltem *Marinum* verbis illis innuere voluisse arbitror, Ducis Curlandiæ Celsitudinem *Pointzio* & Societati ejus potestatem largiri, arbores cædendi atque naves ex illis construendi, ad exercendam in locis liberis aut permissis mercaturam. Atque talis verborum explicatio non illis, sed nobis, jure competit. Quid scrupuli illis etiam insit me non posse videre fateor. Nam ejusmodi mercaturam in oris Americanis, ad quas aditus patet, exercere, citato contractu interdici, ne verbum quidem docet. Sed id tantum cavetur, *merces, bona, sive productiones insulæ* TOBAGO *non nisi in Angliæ & Curlandiæ portus, vel portum urbis* Gedanensis, *exportari* vel importari debere. (3) Tandem fugere illos *Commerciorum Commissarios* non potuit, Celsissimum Curlandiæ Ducem nullum peregisse contractum, quin Regis M. B. Majestati confestim illum, prævia examinatione, vel approbandum, vel rejiciendum exhiberi curaverit. Pone igitur Neutralitatem Celsissimi Curlandiæ Ducis nomine *Marinum Pointzio* & Societati ejus promisisse, nonne eò usque inutilis hæc existimanda est conditio, donec à Sua Majestate fuerit confirmata? Ignaros etiam obtrecta-

tores hoſce non oportet eſſe, poſt pacem *Neomagi* anno 1679. concluſam, Regis M. B. *Caroli* II. Majeſtatem, Ducis Curlandiæ Celſitudinem omnibus modis juviſſe, ut inſulam TOBAGO datam, donatam & conceſſam ſibi recuperaret, & quietè poſſideret. In hunc finem, prout ſupra c. II. §. 7. commemoravi, Gubernatori ſuo in Barbados inſula, Jonathan Atkins, mandavit, ut conſilio auxilioque Celſiſſimi Curlandiæ Ducis navium præfectis copiiſque præſens foret. Nullam verò, quantum in vivis fuit, poſſeſſionis ab aliis interim occupatæ, nec ſtipulatæ navis non ſuppeditatæ, nec clauſularum contractui cum *Pointzio* inito inſertarum, unquam mentionem fecit, nedum Celſiſſimo Curlandiæ Duci ad inſulam iſtam jus competens invalidum declaravit. Sereniſſimus ac Potentiſſimus quoque M. B. quondam Rex *Jacobus II.* cum *Baro de Blumberg* anno 1687. Curlandiæ Ducis nomine, exhibito memoriali peteret, *velit Sua Majeſtas gratioſè permittere Subditis ſuis, ut ad Inſulam* TOBAGO *tranſeant, atque inibi cum ſubditis Suæ Celſitudinis plantationes ſuas atque domicilia conſtituant*, non jus ſuum amiſiſſe Celſiſſimum Ducem reſpondit, ſed *prægnantibus quibusdam rationibus permotam ſe non poſſe permittere, ut ulla pro* TOBAGO *inſula plantanda ex ſubditis Regiis in Anglia formetur ſocietas*,

v. lit. C. *in annexis* conf. C. II. §. cit. 7.

Si contra contractum commisisset Dux Curlandiæ nonne verò simile est, illud tum dictum esse futurum, vel certè tamen dici debuisse. Quia autem prædictæ Regum *Caroli* II. & *Jacobi* II. Majestates tacuêre, Regum illorum exemplum magis præfatos *Commissarios* sequi decuisset. Nam quicquid præstari debet, & fieri remittitur, æquat facto.

v. Regul. Topic. in LL. Angl. §. 132. p. m. 114.

Quod subditos M. B. Regis attinet, superfedeo nunc disceptare, etsi jure possim, utrum LL. Angliæ ipsis interdicatur, cum quovis principe extraneo negotium aliquod tractare. Argumento saltem illorum supra relato hoc leve oppono: Regem M. B. Serenissimum ac Potentissimum *Carolum* II. aut scivisse aut nescivisse; Subditos suos, Legibus Angliæ & decretis Parlamenti, terras principi cuidam extraneo concessas, sub Protectione Regia possidendas, habitare penitus prohiberi: Si scivit, conditio illata impossibilis, adeoque non præstanda; si nescivit, superflua & inutilis fuit, quæ jure pro non adjecta habetur.

arg. l. 1. *si fundo* §. 1. ff. *si usufr. pet.* &c.

Serenissimam ac Potentissimam Magnæ Britanniæ Reginam, his, si debitâ cum veneratione Majestatis

jestatis suæ exposita illi forent, præsens remedium adlaturam esse ferè non dubito. Quô modô meum juxta, tenue etsi, judicium procedendum sit, jussus Vestræ Celsitudini aperire nullo tempore refugiam.

Litter A.

NOtum Teſtatumque ſit omnibus & ſingulis has Præſentes inſpecturis. Quod Decimo ſeptimo Die Menſis Novembris Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo Quarto per ſcriptum duplex eodem tenore totidemque verbis conceptum inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem Dominum Carolum Dei Gratiâ Magnæ Brittanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, fidei Defenſorem &c. ex una parte, & Celſiſſimum Principem Dominum Jacobum in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem ex alterâ parte conventum & concordatum ſit. Quod dictus Dominus Rex per præſentes dat, donat & concedit dicto Domino Duci Curlandiæ, Heredibus & Succeſſoribus ſuis plenam Commercii Libertatem pro navibus ad ipſum eoſque propriè ac bonâ fide ſpectantibus non autem pro iis, quæ ad ullum Subditorum ſuorum pertinebunt in quovis flumine vel portu intra Dominia Majeſtatis ſuæ, in Ora Africanâ, quæ Guineæ nomine appellatur, pro & in quibuslibet mercibus, non excedentibus valorem duodecim Mille librarum Monetæ, Anglicæ, in ſingulos annos, ſecundum pretium, quo primo emptæ fuerint dictæ merces in iis oris aut locis unde exportabuntur unâ, cum libertate ac plenariâ authoritate conſtruendi atque ædificandi unum vel plura repoſitoria ſive domus recondendis merci-

bus idoneas, ſub Caſtellis & Fortalitiis, quæ ad dictam ſuam Majeſtatem aut Subditos ſuos in illis oris pertinebunt, iiſdem libertatibus gaudendi fruendique & quamdiu amicitia, neceſſitudo & bona intelligentia inter dictos Regem & Ducem permanſerint. Cujus quidem Regiæ Conceſſionis intuitu & conſideratione dictus Dominus Dux Curlandiæ concedit & transfert dictæ ſuæ Majeſtati, Heredibus & Succeſſoribus ſuis fortalitium Sancti Andreæ in Guineâ, omniaque alia fortalitia, fortificationes ac propugnacula ad dictum Ducem ibi ſpectantia, unâ cum omnibus tormentis, glandibus, pyrio pulvere cæteriſque quibuscunque inſtrumentis bellicis, ad eadem fortilitia vel ullum eorum ſpectantibus. Convenit item dictus Dominus Dux Curlandiæ concordat & pollicetur pro ſe Heredibus ac Succeſſoribus ſuis quod ſolverit & ſolverint dicto Domino Regi, Heredibus ac Succeſſoribus ſuis tria per centum pro teloniis ſive Cuſtumis omnium bonorum & mercimoniorum in ſpecie, tam quæ importari contigerit in portus Majeſtatis ſuæ in Guinéâ, quam quæ inde exportabuntur, uti prædictum eſt, tali ſcilicet officiali vel officialibus, quem vel quos Majeſtas ſua vel Heredes aut Succeſſores ſui, iiſdem teloniis Juribusque exigendis ac percipiendis deputaverit præfeceritque. Inſuper Majeſtas ſua per præſentes, dat, donat & concedit dicto Domino Duci Curlandiæ, Heredibus & Succeſſoribus ſuis omnem & uni-

universam illam Insulam *Tobago* nuncupatam circa duodecimum gradum Latitudinis Septentrionalis & tercentesimum decimum sextum Longitudinis sitam unam scilicet earum, quæ Carybes Insulæ vulgò appellantur, unâ cum omnibus terris, portubus, Crepidinibus, fluminibus & proficuis ad eandem spectantibus; Sub protectione Regiâ tuendam, provisô semper & sub istâ conditione, quod dictus Dominus Dux Curlandiæ Heredes aut Successores sui non sinant aut permittant, ut alii quicunque præter proprios subditos suos & subditos dicti Domini Regis Heredum aut Sueceſſorum Suorum in dictâ Insulâ commorentur tur ad Plantationes aut domicilia ibi instituenda stabiliendaque. Subditi autem dicti Domini Regis Heredum aut Successorum Suorum liberè semper permittentur inibi commorari Plantationesque ac domicilia habere. Omnibus denique talibus paribusquè Privilegiis, Libertatibus, immunitatibus atque commoditatibus uti, frui, gaudere, quibus subditi dicti Domini Ducis Heredum aut Successorum Suorum utentur, fruentur, gaudebunt, vel uti, frui & gaudere poterunt, absque ullâ contradictione vel oppositione quacunque, nequè ullas alias Taxationes, Contributiones Impositionesve quascunque solvere cogentur, præter eas, quæ ad Insulæ defensionem necessariò exigentur eademque & æquali proportione, quâ subditi dicti Domini Ducis solverint. Convenit item &

pollicetur, dictus Dominus Dux, quod nec ipse, nec Heredes aut Succeſſores ſui, nec quivis alius in uſum ejus, eorum, aut ſubditorum ſuorum exportaverint importaverintve vel importari aut exportari fecerint permiſſerintve ullas merces bona ſive productiones ejuſdem Inſulæ *Tobago* aliàs, quam extra vel in aliquos portuum ad Angliam Curlandiamquè ſpectantium aut portum Urbis Gedanenſis. Denique pro recognitione, quod Dominus Dux Curlandiæ dictam Inſulam *Tobago* de & ſub dicta ſua Majeſtate habeat teneatquè, ulterius proviſum & conventum eſt, quod quando & quotieſcunque dictus Dominus Rex Heredes aut Succeſſores ſui poſtulaverint, tunc quando Ipſe vel Ipſi bello adverſus quemlibet alium Regem Principem aut Statum (exceptò tantum Rege Poloniæ) implicati fuerint, dictus Dominus Dux Curlandiæ Heredes ac Succeſſores ſui propriis ipſorum impenſis de tempore in tempus unam bonam navem bellicam quadraginta tormentis ferreis majoribus inſtructam adduxerint vel adduci fecerint, adeum portum, ſtationem, aut locum, quem dicta ſua Majeſtas Heredes aut Succeſſores ſui ullibi in Europa nominaverint conſtituerintque. Cui quidem Navi poſteaquam ibi appulerit dicta ſua Majeſtas Heredes ac Succeſſores ſui Præfectos, Nautas, Cibaria ac ſtipendia, auſpiciis & impenſis Regiis ſuppeditabunt tamdiu, quam in ipſius vel ipſorum ſervitio permanſerint, quod ultra

ter

terminum unius anni unâ vice nunquam extendetur. In quarum rerum teſtimonium & indubitatam Confirmationem altè memoratæ partes, ſcilicet Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Magnæ Britanniæ & Celciſſimus Dux Curlandiæ reciprocas Conventiones hiſce præſentibus contentas & explicatas manibus ſuis invicem ſubſcripſerunt & Majoribus ſigillis ſuis reſpective communiri fecerunt.

CAROLUS Rex.

(Locus Sigilli Penſilis Majeſtatici)

Præinſertam copiam cum vero ſuo Originali facta fideliter Collatione de verbo ad verbum concordare, ſub Ducali Sigillo Judiciali manuſque propriæ ſubſcriptione teſtatur Mitaviæ die 12. Januarii Anno 1699.

(L. S.)

Johannes Chriſtianus Hölcher,
Proto Secretarius.

Litter B.

Hauts & Puiſſants Seigneurs, Nos Amis, Alliés & Confederés.

DEvant la derniere guerre Nous avons transferé Nôtre droit ſur l'Iſle de Tobago dans les Indes Occidentales au Duc de Courlande : Qui croyant dont être en ſeureté, ne ſe hâta pas, de prendre poſſeſſion de la dite Iſle, ſitôt qu'il devoit, mais la guerre ſurvenant & de Nos ſujets y reſtans allors, quelques unes des vôtres ſe ſaiſirent de la dite Iſle, quoi qu'en effet appartenante au dit Duc de Courlande, *par des Contracts reëls & un droit precedent.* Par cette conſideration Nous nous ſentons obligé, de vous recommander, les juſtes pretenſions du dit Duc, étant perſuadé, que vous auſſi les trouverés bien fondées en raiſon & en équité; & que pour l'amitie commune qui eſt entre Nous, Vôtre Etat & le dit Duc, vous ordonnerés, que vos ſujets demeurans ſur la dite Iſle la rendent au dit Duc, ou a ceux, qu'il y deputera. Et ſur ce nous prions Dieu, qu'il vous ait (Hauts & Puiſſants Seigneurs, Nos Amis, Alliez, & Confederés) en ſa ſainte garde. Ecrit à Whitehall ce 16 jour de May 1671.

Vôtre bon Amy,
CHARLES R.

Aux Hauts & Puiſſants Seigneurs, Nos Amis, Alliés & Confederés les Etats Generaux de Provinces Unies des Païs Bas.

Litter C.

Reponſe touchant l'Iſle de Tobago delivré par Mylord Midleton, *Secretaire d'Etat,*

SA Majeſté ayant Conſidere le Memoire preſenté par l'Envoye de Courlande, ſur ce qu'Elle veuille bien permettre a ſes ſujets, d'aller à l'Iſle de Tobago, pour ſi établir conjointement avec les ſujets de Son Alteſſe le Duc de Courlande, à commandé, qu'on y donnât pour réponſe. Qu'ayant fait meurement examiner la dite memoire en ſon Conſeil, elle ſe trouve obligé par des raiſons importantes de ne pas permettre qu'aucune Compagnie de ſes ſujets ſe forme en Angleterre pour aller à la dite Iſle.

D'ailleurs ayant declaré, qu'elle ſe ſervira très-volontieres de toutes occaſions pour marquer à Son Alteſſe l'égard qu'Elle a & conſervera toûjours pour Lui & pour ſes interêts, fait à Witehalle, ce 19 May 1687.

MIDLETON.

Sere-

Litter D.

Serenissime & Potentissime Rex, Domine Benignissime.

SIngularis Gratiâ Regia, quâ hactenus Domus Ducalis se munitam vidit, & quam Ego non ita pridem præsens victricibus armis Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ expertus sum, quò pretiosior est, eò exactiorem requirit observantiam, observantia votum, ut ejusdem propensionis Regiæ perennis sit & maneat periodus, quam dum *M*inorennis Consanguinei Mei, Celsissimi Principis *Friderici Wilhelmi*, in Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis, juribus invigilare omninò suadet munus Tutelæ, ductu juris atque Naturæ mihi proprium, exactiori venerationis cultu demereri annitar. Unde quoque providendo ejusdem indemnitati ratione Insulæ Tobago, quam ex gratiâ Prædecessorum Sacr: Regiæ Majestatis Vestræ, gloriosissimæ memoriæ, Dumus Ducalis jure Hereditario tenet; eatenus fusius desideria mea humillimè exponet Cameræ meæ Consiliarius & fideliter dilectus *Joannes Christophorus Prætorius*, cui ut Sacr: Regia Majestas Vestra benignissimum accessum concedere, eidem in iis quæ cunquæ meo nomine explicabit, fidem indubiam habere & desiderata declaratione Regia expedire dignetur, submississimè exoro, & ut Sacr:

Regia

Regiæ Majestatis Vestræ Glorioſorum ſucceſſuum continua ad ſeros annos ſit ſeries, exquiſitiori obſervantiæ nota commendo

Sacr: Regiæ Majestatis Vestræ

Humillimus Servus,

Ferdinand Dux Curl.

Lit. E.

Sereniſſime & tres puiſſant Roy Seigneur tres gracieux.

LE Souſigné Envoyé du Duc Adminiſtrateur de Courlande, repreſente à Voſtre Majeſté, par ordre de Son Maiſtre, avec un tres profond reſpect, que Monſeigneur le Duc come Touteur e Adminiſtrateur de Son Neveu *Fridric Guillaume*, Duc de Courlande, è ſur le point d'aller établir une nouvelle Colonie dans l'Iſle *Tobago*.

Et comme le Traité cy devant fait, entre Sa Majeſté le feu Roy *Charles II.* & le feu Duc *Jaque* de Courlande, entre autre porte, que la dite Iſle ſous la protection de Voſtre Majeſté doit eſtre peuplée ou des Sujets Anglois ou Courlandois, Mon-Seigneur le Duc Adminiſtrateur

a fait en Conformité du ſudit Traité un Contract avec des ſujets de Voſtre Majeſté, dont je prens la liberté de luy preſenter trés-humblement les Copies icy joinctes. Mon-Seigneur mon Maiſtre me commande de faire ſes tres-humbles inſtances aupres de Voſtre Majeſté de vouloir gracieuſement approuver cet accord en donnant ſa puiſſante protection & a la Maiſon Ducale, & a cette nouvelle compagnie, dont le plus grand profit tombe aux Sujets de Voſtre Majeſté & le moindre à Mon-Seigneur le Jeune Duc, qui n'ayant point de Pere ſe repoſe entierement ſur la Grace paternelle de Voſtre Majeſté.

Mon-Seigneur le Duc Adminiſtrateur de Son Côté ne manquera jamais n'y du profond reſpect envers Sa Majeſté, n'y de Promptitude à luy rendre touts les tres-humble Services. Et je ſuis avec un tres profond reſpect & ſoumiſſion entiere.

SIRE

de Voſtre Majeſté

Le plus humble & tres-obeïſant,

Jean Chriſtoffer Prætorius.

Articlo

Lit. F.

Articli pacti, habiti, facti & concluſi viceſimo die Septembris Anno Domini milleſimo, ſexenteſimo, octogeſimo primo, inter Nobilem Abrahamum Marin, *Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis* Jacobi, *in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis, in Aula Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Reſidentem, nomine dictæ ſuæ Sereniſſimæ Celſitudinis ex una, & Dominum* Joannem Poyntz *de civitate Londinenſi, nomine ſuo proprio & Sociorum ex altera parte, tenore ſequenti.*

CUm Sereniſſima ſua Celſitudo per literas ſuas patentes Mitaviæ tertio die Julii Annoque Domini milleſimo ſexenteſimo octuageſimo primo datas, manu ſua propria ſubſcriptas & ſigillo ſuo Ducali corroboratas dictum *Abrahamum Marin* ſufficienti poteſtate hiſce verbis muniverit. *Nos* Jacobus *Dei Gratiâ, in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Dux univerſis & ſingulis, iis inprimis quorum intereſt, notum teſtatumque facimus. Cum Nobis relatum ſit, quod quidam Angli in Inſulam noſtram* Tobago *ſeſe conferre, eamque ſub certis conditionibus habitare ſibi propoſuerint, Nos Reſidenti noſtro & fideliter nobis dilecto Nobili* Abrahamo Marin *plenam potentiam dedidiſe, uti vigore præſentium damus cum prædictis*

Anglis iſtis ſuper hoc negotio tractandi, & conditiones, prout ille ipſas nobis proficuas Ducalique noſtra dignitate condignas adinveniet, uſque ad ratificationem Noſtram accipiendi, meliorandi, contractumque deſuper ineundi & in ſcriptis concipiendi. In cujus rei fidem hocce manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo noſtro Ducali corroborare mandavimus. Datum Mitaviæ die tertio Julii anno milleſimo ſexenteſimo octuageſimo primo. Conventum & concluſum eſt, & dictus *Abrahamus Marin* virtute poteſtatis ſibi literis prædictis datæ & conceſſæ ex parte dictæ Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis conſentit & convenit cum dicto *Joanne Poyntz* & ſociis ipſius, tradere, concedere & aſſignare, vel tradi, concedi & aſſignari curare, centum & viginti millia terræ Jugerum, ſecundum menſuram Anglicanam in Inſula Tobago nominata hæredibus & Aſſignatis eorum in perpetuum, ſub diverſis his conditionibus, quæ ſequuntur. Item præfatus *Joannes Poyntz* & ſocii promittunt, ſpondent & conveniunt cum dicto *Abrahamo Marin*, ex parte Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis ratione conceſſionis ſuæ prædictæ in dictam inſulam Tobago intra terminum trium annorum à tempore conputandum, quo dictus *Joannes Poyntz* vel ſocii ibi appellent, tranſportare vel tranſportari facere mille & ducentas perſonas, tam mares quam fœminas & infantes, modo ſequenti; videlicet, quadringentas perſonas tam ma-

res

res quam fœminas & infantes, primam tertiam partem dictarum mille & ducentarum personarum, anno primo, & quadringentas personas tam mares quam Fœminas & Infantes, secundam tertiam partem mille & ducentarum personarum, anno secundo, & quadringentas personas tam mares quam fœminas & infantes, residuum & complementum dictarum mille & ducentarum personarum, anno tertio tunc proximè sequenti. Item conventum & concluſum est, & dictus *Abrahamus Marin*, nomine dictæ suæ Celsitudinis promittit, spondet & concludit cum dicto *Johanne Poyntz* & sociis, hæredibus & Assignatis eorum, ipsis in perpetuum dare, concedere, tradere & confirmare, vel dari, concedi, tradi & confirmari facere quadraginta millia terræ Jugerum, primam tertiam partem dictorum Centum & viginti millium terræ Jugerum, quam primum ipse dictus *Joannes Poyntz*, vel socii ad Insulam prædictam pervenerint, & quadraginta millia terræ Jugerum, secundam tertiam partem dictorum terræ Jugerum, anno secundo tunc proximè sequenti, & quadraginta millia supradictorum terræ Jugerum, complementum dictorum centum & viginti millium terræ Jugerum, eo tempore, quo dictus *Joannes Poyntz*, vel socii in Insulam supra dictam dictum numerum personarum advexerint vel advehi curaverint, proviso semper, quod si dictus *Joannes Poyntz*, vel socii, ante tempus statutum

in Insulam prædictam totum supra dictum numerum personarum transportaverint vel transportari curaverint, dicta sua Celsitudo nihilominus ipsis, hæredibus & assignatis eorum promissas & concessas terras assignabit vel assignari mandabit. Item, si Gubernatori & commitiis (ut postea hîc memorabitur) pro bono communi & insulæ cultu & repletione benè visum fuerit, dictus *Joannes Poyntz*, & socii, ad terras supra concessas melius inarandas & colendas intra quatuor vel quinque annos post terminum dictorum trium annorum ulterius promittunt & pollicentur similem numerum mille & ducentarum personarum aut majorem in dictam Insulam propriis impensis transferre, nullam terræ additionem à dictâ sua Sereniſſimâ Celsitudine ea causa petentes. Item si Gubernatori vel in absentia sua Deputato & Commitiis ad defensionem dictæ Coloniæ, & majorem securitatem mercaturæ & commercii ejusdem utile & necesse fore videbitur, dictus *Joannes Poyntz*, & socii, intra tempus conveniens super terras ipsis concessas duas vel plures arces aut Castella ædificari curabunt, & copias ibi necessarias propriis suis sumptibus sustinere pollicentur. Item conventum ulterius & concluſum est, & dictus *Abrahamus Marin*, nominè dictæ Sereniſſimæ suæ Celsitudinis, convenit & concludit cum dicto *Ioannes Poyntz* & sociis, ad eorum meliorem animationem, quod pars supra con-

cessæ

ceſſæ dictæ Inſulæ, durante ſpatio ſeptem annorum, dictis *Ioanni Poyntz* & ſociis, ab omni impoſitione quacunque libera erit, ab omnique genere vectigalium commercii cujuſcunquè immunis. Poſtea vero talia vectigalia & tributa Sereniſſimæ ſuæ Celſitudini exſolvere tenebuntur, quæ ex aſſenſu mutuo dicti Gubernatoris ſeu Deputati & Commitiorum ſtabilita & confirmata fuerint, reditumque hic poſtea reſervatum deponent. Portus verò omnes ad terras ipſis conceſſas pertinentes, omnibus gentibus talia vectigalia & Impoſitiones ſolventibus, quæ de tempore in tempus dicto Gubernatori ſeu Deputato ſuo & Commitiis juſta videbuntur, in perpetuum aperti erunt. Item omnibus hujus Inſulæ incolis (Romanâ tantum exceptâ) liberum ſit Religionis exercitium, quamdiu ſe benè geſſerint & nihil contra pacem publicam & leges ſanciendas vel ſanctas attentaverint vel moliti fuerint. Item conventum etiam & concluſum eſt, quod prædicta centum & viginti millia terræ Jugerum data & conceſſa ut præfertur, tota & indiviſa ſint, & non aliis commixta terris, quas ulli alii proprietarii vendicare poſſint (iis ſolum exceptis) quæ ab indigenis poſſidentur, qui regimini prædicto ſeſe ſubmittent & conformes legibus ſtabiliendis vel ſtabilitis ſe gerent. Et cum dictus *Ioannes Poyntz* & ſocii, partem Auſtralem & orientalem dictæ Inſulæ primò incolere ſibi proponant, menſurationem tamen

men terræ prædictæ incipient ab extrema Insulæ parte, progrediendo longitudine ab oriente versus occidentem, littora Australia & Occidentalia includendo & in continentem extendet se latitudo ad perimplendum totum terrarum complementum his præsentibus concessum. Item omnes & singuli incolæ Sereniſſimæ suæ Celsitudini au Gubernatori vel Deputato suo & Commitiis sese subjicient. Gubernator verò vel deputatus suus sine consensu Commitiorum, generali suffragio populi, in diversis suis districtibus annuatim electorum, concludere nihil poterit. Quæ quidem commitia modo sequenti constituentur : Quilibet districtus duplicem numerum, ex quibus dicta Commitia constituenda erunt, præsentare tenebitur, ex quibus singulis duobus dictus Gubernator vel Deputatus unum nominabit, donec completus sit numerus ad dicta Commitia requisitus, ubi Gubernator vel Deputatus semper præsidebit, quæ Commitia plenam habebunt potestatem pro bono publico & Insulæ defensionis leges salubres constituendi, ubi etiam omnes controversiæ quæstiones & alterationes vel actiones per majorem suffragiorum numerum, inter quæ Gubernator aut Deputatus, ultimum semper habebit, concludentur & terminabuntur. Item porro conventum & concluſum est, quod in fine dictorum septem annorum (quo tempore dictus *Ioannes Poyntz*, & socii dictis terris ab omni

omni oneris genere immunibus gaudebunt, ut in articulo sexto indictio facta est, dictus *Joannes Poyntz* & socii vel Assignati, dictæ Sereniſſimæ suæ Celsitudini, Hæredibus & succeſſoribus suis, reditum Feudi annuum, duorum denariorum pro quolibet terræ Jugero solvent, & si summa duorum denariorum annuatim non sit soluta, secundum veram intentionem harum præsentium; licitum erit dictæ Sereniſſimæ suæ Celsitudini, Hæredibus & Succeſſoribus suis vel Gubernatori & Deputato suo, terras eorum in hac parte delinquentium reoccupare, & delinquentes ad solutionem usque expellere. Etiam dictus reditus augeatur annis sequentibus, secundum modum & consuetudinem, quæ locum habet in Jamaica & aliis ad Regem Magnæ Britanniæ pertinentibus Insulis: Proviso semper, quod dicta Sereniſſima sua Celsitudo, Hæredes & Succeſſores sui considerent reditus ante memoratos, ut legitimam terrarum conceſſarum acquisitionem dicti *Joannis Poyntz* & sociorum, Hæredum & assignatorum suorum in perpetuum. Item dictus *Joannes Poyntz* & socii, ut & eorum hæredes & omnes aliæ personæ ad ipsos pertinentes (salva Regi Magnæ Britanniæ debita ligeantia) juramento solemni sese obstringent Fideles se mansuros dictæ Sereniſſimæ suæ Celsitudini, Hæredibus & Succeſſoribus suis in perpetuum, ut eorum Principi legitimo in Insula

prædicta, quod Juramentum quilibet confirmabit ſublevando manum dextram. Porro proviſum eſt, quod ſi bellum (quod Deus avertat) oriatur, inter Sereniſſimam ſuam Majeſtatem Britannicam & dictam Sereniſſimam ſuam Celſitudinem, vel quod dicta Sereniſſima ſua Celſitudo vigore ullius fœderis offenſivi vel defenſivi confœderatus eſſet cujuſvis Principis vel ſtatus bellum Regi *M*agnæ Britanniæ inferentis, dictus *Joannes Poyntz*, & ſocii ut & eorum Hæredes tamen non cogentur ſubſidia ferre quibuſvis principibus vel ſtatibus contra dictum Sereniſſimum Regem *M*agnæ Britanniæ belligerantibus, ſed ad morem Civitatis Colonienſis & aliarum civitatum imperialium Hanſeaticarum neutralitate gaudebunt. Item dicta ſua Sereniſſima Celſitudo, Hæredes & Succeſſores pro bene placito conſtituent & eligent Gubernatorem totius Inſulæ, omnes vero Officiarii inferiores â dicto Gubernatore vel Deputato & Commitiis nominabuntur. Item conventum & concluſum eſt, & ſupradictus *Abrahamus Marin*, Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis nomine, hiſce præſentibus promittit, concedit & poteſtatem dat, dicto *Joanni Poyntz* & ſociis ut & Hæredibus & Aſſignatis eorum, de tempore in tempus tot & tales naves navigia. & naviculas ædificandi, conducendi & onerandi, quas & quot ad negotia ſua promovenda, eorumque uſui ne-

necessaria comperient, quibus per totas terrarum orbis partes navigare, & tam Insulæ prædictæ, quam aliarum Regionum productis, sine ullo â parte dictæ suæ Sereniſſimæ Celsitudinis impedimento, negotium gerere pro lubitu poterunt. Denuo Deputatus & omnes alii Officiarii & Miniſtri tam Eccleſiaſtici quam civiles, qui ad adminiſtrandam Juſtitiam in terris ſupra conceſſis neceſſarii invenientur, â dicto Gubernatore & Commitiis conſtituentur, & ut ſupra dictum omnes quæſtiones & ratiocinationes cujuſcunque ſint generis finientur & concludentur per majorem ſuffragiorum numerum. In quarum rerum teſtimonium & indubitatam confirmationem altè memoratæ partes, videlicet *Abrahamus Marin* ex parte Sereniſſimæ ſuæ Celsitudinis, & *Joannes Poyntz*, pro ſe & ſociis annexis, reciprocas conventiones, hiſce præſentibus contentas & explicatas, manibus ſuis invicem ſubſcripſerunt & ſigillis ſuis reſpective uſque ad ratificationem Sereniſſimæ ſuæ Celsitudinis communiverunt. Anno & die ſupra dicto.

Lit. G.

EGo *Joannes Poyntz*, teſtor præſentibus hiſce literis, manu, ſigilloque meo munitis, pro me, hæredibus meis, cum Sereniſſimus Celsiſſimusque Prin-

ceps ac Dominus, Dnus *Fridericus Caſimirus*, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Dominus meus Clementiſſimus, inito & concluſo mecum, & cum ſocietate mea, pro plantanda Inſula Ejus Tabago, ſuper certis conditionibus & articulis tractata, de conſtituendo iſtius Inſulæ Gubernatore cogitare cœperit, Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ â me propoſitum fuiſſe, quatenus, ſi Sereniſſima Celſitudo ſua adminiſtrationem ejus Inſulæ in me conferre dignari vellet, ego non tantum in omnibus, ſecundum Diploma Inſtallationis meæ & præſtitum Juramentum, me fideliſſimum Ipſi præſtare, verùm etiam Intereſſe Ejus Ducale tàm in iis, quæ pro incremento iſtius Inſulæ requiri, quam quæ pro ampliandis & augendis Reditibus Ducalibus inſervire poſſint, quærere & obſervare velim, inſtituendo nimirum commercia & Negotia cum iſtis Nationibus, quæ ab Hiſpanis nunquam fuerunt acquiſitæ, absque ullis tamen Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ impenſis, ſive ſumptibus, & elocando Partem Terræ Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ in inſula ſua Tobago reſiduam, pro aliquot annis, quibus elapſis Terra iſta laborata & culta Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ aliquot millia librarum Sterl: annuatim afferre poterit. Inſuper ſpontè offerendo & ſanctè promittendo, pro humillimâ recognitione iſtius Gratiæ, poſt quindecim ab accepta

Rati-

Ratificatione & Confirmatione initi Tractatus dies, Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ, vel cui illa mandaverit, exſolvere ſummam mille librarum Sterl: elapſo anno primo iterum unum mille librarum Sterl: ſequenti ſecundo 2000 libr., tertio anno 3000 libr. Sterl:, & ſic augendo ſummam ſingulis annis uno mille continuare, donec vixero. Ubi poſt mortem meam Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ pro lubitu & benè placito ſuo porro ea diſponere integrum erit. Quibus cum Sereniſſima Celſitudo ſua clementer annuere, & me pro Gubernatore ſuo iſtius inſulæ conſtituere dignata fuit; Ego in majorem mei Promiſſi & obligationis Aſſecurationem, datis fidejuſſoribus Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ, de fide mea cavere ipſemet obtuli. Prout . . . . . Mercatores Hamburgi hiſce conſtituo, qui de ſumma Sterl: cavebunt. Quorum fidejuſſorum ſi unus vel alter vitâ deceſſerit, vel in decrementum bonorum & fortunæ ſuæ prolapſus fuerit, tunc alium idoneum fidejuſſorem in ejus locum pro quantitate ſummæ, quâ prior obſtrictus fuit, conſtituere ſpondeo & promitto. In fidem &c.

Lit. H.

NOs Fridericus Casimirus *Dei Gratia*, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Dux &c. Univerſis & ſingulis, iis imprimis, quorum

intereſt, notum teſtatumque facimus præſentibus hiſce literis noſtris, cum inter Sereniſſimi Celſiſſimique Ducis Jacobi, Parentis Noſtri piiſmæ memoriæ, in Aula Sereniſſimi Potentiſſimique Magnæ Britanniæ Regis, olim Reſidentem nobilem *Abrahamum Marin*, nomine dictæ Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ, ex unâ, & *Joannem Poyntz*, ſuo proprio & ſociorum tum temporis ſuorum nomine, ex altera parte, certi quidam Articuli, Anno Dni. 1681. erecti fuerint, quibus *Joanni Poyntz* & ejus ſociis certus numerus terræ Jugerum in Inſula Noſtrâ in America ſita *Tobago* nominata, ſub diverſis conditionibus tradi, concedi & aſſignari conventum eſſet; ob varia vero impedimenta, tum belli, tum eo, quod dictus *Joannes Poyntz* ſocios illos ſuos operi ſuſcipiendo minùs ſufficientes viderit, negotium illud plantandæ Inſulæ, Coloniæque eò tranſportandæ effectui dari nequiverit; Nunc demum ab eodem *Joanne Poyntz* iterum Nobis propoſitum fuit, quatenus abdicatis amicabiliter priſtinis iſtis ſociis ſuis, aliam ſocietatem inire conſtituiſſet, cujus ope rem majori efficacia & feliciori ſucceſſu aggredi ſperaret, humillimè rogando, ut priores illos Articulos, â Divo Parente Noſtro erectos & concluſos reaſſumere, ratihabere, atque confirmare, aliosque paucos non minus proficuos pro Noſtro totiusque ſocietatis fructu atque emolumento

lumento iis addere non dedignaremur. Quorum omnium, tam veterum, quam novorum additorum tenor hic est.

1 Conventum & concluſum eſt inter Sereniſſimum Celſiſſimumque Principem ac Dominum, Dnum. FRIDERICUM CASIMIRUM, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem; & *Joannem Poyntz*, de civitate Londinenſi, ejuſque ſocios; & Sereniſſima Celſitudo ſua conſentit & convenit cum dicto *Joanne Poyntz*, & ejus ſociis, vigore harum ipſis tradere, concedere & aſſignare, vel tradi, concedi, & aſſignari facere 120000. terræ Jugerum, ſecundum menſuram Anglicanam, in Inſula Tabago nominata, hæredibus & Aſſignatis eorum in perpetuum, ſub diverſis hiſce conditionibus, quæ ſequuntur.

2 Item præfatus *Joannes Poyntz*, & ſocii promittunt, ſpondent & conveniunt cum Sereniſſima Celſitudine ſua, ratione prædictæ conceſſionis in iſtam Inſulam Tabago, intra terminum 6. annorum, â tempore computandum, quo dictus *Joannes Poyntz*, vel ſocii ibi appellent, tranſportare vel tranſportari facere, mille & ducentas Perſonas, tam mares quam fœminas & infantes, modò ſequenti: Videlicet 400. perſonas, tam mares quam fœminas & infantes primam tertiam partem dictarum 1200. perſonarum annis

nis primo & ſecundo, & quadringentas perſonas, tam mares quam fœminas & infantes, ſecundam tertiam partem 1200. perſonarum, annis tertio & quarto, & 400. perſonas tam mares quam fœminas & infantes, reſiduum & complementum dictarum mille & ducentarum perſonarum, annis quinto & ſexto ſibi proximè ſequentibus.

3 Item conventum & concluſum eſt, & dicta Sereniſſima Celſitudo ſua promittit, ſpondet & convenit, cum dicto *Joanne Poyntz* & ſociis, Hæredibus & Aſſignatis eorum, ipſis in perpetuum dare, concedere, tradere & confirmare, vel dari, concedi, tradi & confirmari facere, quadraginta millia terræ Jugerum, primam tertiam partem dictorum centum & viginti millium terræ Jugerum, quam primum ipſe dictus *Joannes Poyntz* vel ſocii ad Inſulam prædictam pervenerint, & 40000. terræ Jugerum, ſecundam tertiam partem dictorum 120000. terræ Jugerum, annis tertio & quarta tunc proxime ſequentibus, & 40000. terræ Jugerum ſupradictorum 120000. terræ Jugerum complementum, eô tempore, quo dictus *Joannes Poyntz* vel ſocii dictum numerum 1200. perſonarum, in Inſulam prædictam advexerint & compleverint, vel advehi & compleri curaverint. Proviſo ſemper, quod ſi dictus *Joannes Poyntz* vel ſocii ante tempus ſtatutum in Inſulam prædictam totum ſupra dictum

nume-

numerum personarum transportaverint vel transportari curaverint, dicta sua Celsitudo nihilominus ipsis, Hæredibus & Assignatis eorum, promissas & concessas terras assignabit vel assignari mandabit.

4 Item si Gubernatori, Consiliariis & Conventui (ut postea hic memorabitur) pro bono communi & insulæ cultu & repletione benè visum fuerit, dictus *Ioannes Poyntz*, & socii, ad terras supra concessas melius inarandas & colendas, intra quatuor vel quinque annos post terminum dictorum 6 annorum ulterius promittunt & pollicentur, similem numerum mille & ducentarum personarum, aut majorem in dictam insulam propriis impensis transferre, vel tranferri curare, nullam terræ additionem à dicta Sereniſſima Celsitudine sua ea causa petentes.

5 Item, si Gubernatori vel in absentia ejus vice Gubernatori aut Deputato suo, Consiliariis & Conventui, ad defensionem dictæ Coloniæ & majorem securitatem Mercaturæ & Commerciorum ejusdem utile & necesse fore videbitur dictus *Joannes Poyntz*, & socii, intra tempus conveniens pro ædificandis super terras ipsis concessas duabus vel pluribus arcibus aut Castellis pecunias conferent, & copias ibi necessarias, propriis suis semptibus, sustinere pollicentur.

6 Item, Conventum & concluſum est, & dicta Sereniſſima Celsitudo sua convenit & concludit,

cum dicto *Joanne Poyntz* & ſociis, ad eorum meliorem animationem, quod terræ ſupra conceſſæ, durante termino complendi numeri 1200 perſonarum, dictis *Joanni Poyntz*, & ſociis, ab omni impoſitione liberæ erunt, ab omnique genere vectigalium commercii cujuscunque immunes. Poſtea vero talia vectigalia & Tributa Sereniſſimæ ſuæ Celſitudini exſolvere tenebuntur, quæ in proximè adjacentibus inſulis Barbados & Jamaica uſu recepta ſunt, & ibidem recipientur. Portus vero omnes ad terras ipſis conceſſas pertinentes, omnibus Gentibus, talia vectigalia & impoſiriones, quæ ſecundum dictum uſum recepta erunt vel recipientur, ſolventibus, in perpetuum, ſalvô ſemper Jure Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ ratione portuum infra reſervato, aperti erunt.

7 Item, conventum & concluſum eſt, quod dicta 12000 terræ Jugerum data & conceſſa ita ex æquo aſſignentur, ut tota inſula in quatuor partes æquales demenſâ, ab unaquaque parte *Joanni Poyntz*, ſociis, Hæredibus & Aſſignatis eorum attribuantur, totaque & indiviſa ſint, & non aliis commixta terris, quas ulli alii Proprietarii vindicare poſſint, iis ſolum exceptis, quæ ab Indigenis poſſidentur, qui regimini prædicto ſeſe ſubmittent, & conformes legibus ſtabiliendis vel ſtabilitis ſe gerent, attamen ut totum littus circa univerſam Inſulam, omnesque Portus navibus ap-

appellendis apti, & ad ſingulos Portus 200 terræ Jugera penes Sereniſſimam Celſitudinem ſuam nunc & in perpetuum maneant, Gubernatori quoque ſimul his ſtrictè injungitur, ut ſecundum Inſtructionem ſuam omnem curam adhibeat, ne deſerta vel inculta jaceant ulla jugera *Joanni Poyntz*, & ejus ſociis deſtinata.

8 Item, Omnes & ſinguli Incolæ Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ aut ejus Gubernatori, vice-Gubernatori, vel deputato ſuo ſeſe ſubjicient. Gubernator vero vel vice-Gubernator aut ejus Duputatus ſine Conſilio Conventus, generali ſuffragio populi in diverſis ſuis diſtrictibus annuatim electi, nihil ardui totam inſulam concernens concludere poterit; qui quidem Conventus modò ſequenti conſtituentur. Quilibet diſtrictus duplicem numerum, ex quibus dictus Conventus conſtituendus erit, præſentare tenebitur, ex quibus ſingulis duobus dictus Gubernator vel deputatus unum nominabit, aut ſi neuter placuerit, aliique duo loco priorum præſentati fuerint, ex poſterioribus unum eliget, donec completus ſit numerus ad dictum Conventum requiſitus, ubi Gubernator, Vice-Gubernator, vel Deputatus ſemper præſidebit, Conſiliariosque ſuos habebit, qui Conventui etiam intereſſe debebunt; qui Conventus plenam habebit poteſtatem pro bono publico & Inſulæ defenſione leges ſalubres

conſtitueudi, per majorem ſuffragiorum numerum, inter quæ Gubernator aut Deputatus ultimum ſemper habebit, ita tamen, quod in rebus utilitatem Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ concernentibus, non deviare debent à legibus & conſuetudinibus, per quas commodum ſuperiorum Dominorum in adjacentibus Inſulis Anglicanis obſervatur & procuratur.

9 Item, Porro conventum & concluſum eſt, quod in fine iſtorum 6 annorum (quo tempore *Joannes Poyntz* & ſocii dictis terris ab omni oneris genere immunes gaudebunt, ut in Articulo 6to indictio facta eſt) dictus *Joannes Poyntz*, & ſocii, vel Aſſignati, dictæ Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ, Hæredibus & Succeſſoribus ſuis reditum feudi annuum quatuor denariorum, pro quolibet terræ Jugero, ſolvent, & ſi ſumma quatuor denariorum annuatim non ſit ſoluta, ſecundum veram intentionem harum præſentium, licitum erit dictæ Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ, Hæredibus & Succeſſoribus ſuis vel Gubernatori aut Deputato ſuo terras eorum in hac parte delinquentium reoccupare, alium quendam meliorem in ejus locum ſubſtituere, & delinquentes ad ſolutionem uſque expellere. Etiam dictus reditus augeatur annis ſequentibus ſecundum modum & conſuetudinem, quæ locum habet in *Jamaica* & aliis adjacentibus Inſulis Anglicanis, Proviſo ſemper, quod dicta Sereniſſima Celſitudo ſua, Hæredes &

Suc-

Succeſſores ſui conſiderent reditus ante memoratos ut legitimam & oneroſam terrarum ex hoc Contractu conceſſarum acquiſitionem dicti *Joannes Poyntz*, & ſociorum, Hæredum & Aſſignatorum ſuorum in perpetuum.

10 Item dictus *Joannes Poyntz* & ſocii, ut & Hæredes & omnes aliæ Perſonæ ad ipſos pertinentes, ſeu ut Incolæ vel indigenæ in iſta Inſula viventes (ſalva Regi Magnæ Britanniæ ligeantia) juramento ſolenni ſeſe obſtringent, fideles ſe manſuros dictæ Sereniſſimæ Celſitudini ſuæ, Hæredibus & Succeſſoribus ſuis in perpetuum, ut eorum Principi legitimo & Dno. directo ſeu ſupremo in Inſula prædicta, quod Juramentum quilibet confirmabit, ſublevando manum dextram.

11 Porro proviſum eſt, quod ſi bellum (quod DEus avertat) cis ultrave Lineam oriretur inter Sereniſſimam ac Potentiſſimam Majeſtatem ſuam Britannicam alium quemcunque Regem, aliquamve aliam Potentiam, quo Inſula Tobago mediatè vel immediatè, per directum vel per indirectum implicari, involvi ac turbari poſſet, Sereniſſima Celſitudo ſua pro poſſe ſuo providebit ac procurabit, ut â Sereniſſima Potentiſſimaque Majeſt: Britannica ac Succeſſoribus Ejus, Regibus Magnæ Britanniæ & cæteris Potentiis ſeu partibus belligerantibus, Neutralitatem

Insulæ obtineat, eâdemque omnes istius Incolæ, nemine prorsus excepto, gaudere, & ab omni belligerantium hostilitate ac invasione liberi ac immunes esse queant.

12 Item dicta Sereniſſima Celsitudo sua, Hæredes & Succeſſores pro beneplacito constituent & eligent perpetuis temporibus Gubernatorem, & Vice-Gubernatorem totius Insulæ, Consiliarios & Officiarios tam civiles, quam militares. Quemadmodum etiam militares copiæ in arcibus aut Castellis, in terris *Joannis Poyntz*, sociorum & hæredum, â sæpè dicta societate, prout in Articulo 6to. mentio facta est, ædificandis, Serenisſimæ Celsitudini suæ Juramento sint obstrictæ, jusſibusque Gubernatoris, vel Vice-Gubernatoriis aut Deputati sui pareant. Advocatum quoque Fisci, qui tam in Judiciis, quàm in aliis negotiis & occurentiis Jus-Fisci ac Intereſſe Sereniſſimæ Celsitudinis suæ & Hæredum, Succeſſorumque suorum in omnibus observet, constituere, Serenisſimæ Celsitudini suæ integrum erit. De quorum Miniſtrorum seu Officiariorum omnium sustentatione Serenisſima Celsitudo sua cum societate peculiariter tractabit, & unicuique certam capitulationem seu Installationem dabit & concedet.

13 Item conventum & concluſum est, & Sereniſſima Celsitudo sua hisce præsentibus promittit, concedit

&

& poteſtatem dat, dicto *Joanni Poyntz* & ſociis, ut & Hæredibus & Aſſignatis eorum, de tempore in tempus, tot & tales naves, navigia & naviculas ex ligno in partibus ipſis aſſignatis creſcente, tamen abſque detrimento ſylvarum, & non niſi præſcitu & conſenſu Gubernatoris & Conſiliariorum ædificandi, conducendi & onerandi, quas & quot ad negotia ſua promovenda, eorumque uſui neceſſaria comperient, quibus per totas terrarum orbis partes navigare & tam inſulæ prædictæ, quam aliarum Regionum productis, ſinè ullo, a parte dictæ ſuæ Sereniſſimæ Celſitudinis, impedimento negotium gerere pro lubitu poterunt. Attamen ne ulla navis, vel navigium aut navicula appellens, ante telonium, de quo in Articulo 6to dictum eſt, exolutum, abſque præſcitu Gubernatoris vel Deputati ſui aut telonii Præfecti, à Sereniſſima Celſitudine ſua conſtituendi merces exponere, vendere, aut diſtrahere clam palamve audeat. Item: ne ulla navis, navigium aut navicula portu movere volens, moveat, priuſquam vel Gubernator, vel Deputatus aut Telonii Præfectus, telonio exſoluto, facultatem movendi dederit, ſub pœna in Inſulis Anglicanis conſueta.

14. Denique Officiarii & Miniſtri tam Eccleſiaſtici quam civiles, qui ad adminiſtrandam Juſtitiam in terris ſupra conceſſis neceſſarii invenientur, à dicto Gu-

Gubernatore & Consiliariis instituentur, qui omnes actiones tam Ecclesiasticas, quam Civiles & Criminales, cujuscunque sint generis, juxta Leges & mores Insularum Anglicanarum Barbados & Jamaica finient & concludent, per majorem saffragiorum numerum. Appellatione tamen in causis & summis, â quibus Appellatio, in prædictis Insulis, Partibus conceditur, & secundum formam ibidem consuetam, ad Sereniſſimam Celsitudinem suam per omnia salva.

15 Exercitium quoque Religionis Christianæ cujuscunque generis, cuique sit liberrimum, absque ulla exceptione.

16 Item, si quæ sunt, aut imposterum erunt in mari prope Insulam Tobago Piscaturæ unionum, ad solam Sereniſſimam Celsitudinem suam pertinebunt. Item penes Sereniſſimam Celsitudinem suam omnes mineræ, metallaque per totam Insulam in terra latentia, perpetuis temporibus remaneant, liberumque erit Sereniſſimæ Celsitudini suæ etiam in terris *Joanni Poyntz*, sociis & Hæredibus ac Assignatis eorum conceſſis, fodinas erigere, metallaque erui facere, sine cujusquam impedimento; tamen, ut tantum terræ, quantum ad fodinas ædificiaque neceſſaria vindicatur, Proprietario fundi, in quo fodinæ eriguntur, â Serenisſima Celsitudine sua, è terris penes eam remanentibus, dicto Proprietario proxime contiguis, cum

cum reſtitutione damni emergentis reddatur & aſſignetur.

17 Item Sereniſſima Celſitudo ſua ſpondet & promittit in futurum quoque, ſi data & conceſſa centum & viginti millia terræ Jugera ſupra dicta plenariè exculta fuerint, & Sereniſſima Celſitudo ſua e re & utilitate Inſulæ futurum cognoverit concedere & aſſignare, vel dari, concedi & aſſignari facere dicto *Joanni Poyntz*, Sociis, Hæredibus & Aſſignatis eorum alia millia terræ jugerum, ſive indiviſa & univerſa uno anno, ſive per très aut plures annos, ſingulis annis aliquot millia terræ Jugerum, iis Conditionibus, de quibus Sereniſſima Celſitudo ſua pro bono ſuo cum dicto *Joanne Poyntz*, ſociis, Hæredibus, & Aſſignatis eorum conveniet in perpetuum.

18 Inſuper reſervat ſibi Sereniſſima Celſitudo ſua poteſtatem, ea omnia inſtituendi, quæ ſecundum morem Inſulæ Barbados, aliarumque adjacentium, in commodum ac emolumentum Inſulæ Tobago, ejusque redituum, mercaturæ, teloneorum, ac in omnibus aliis cauſis ac negotiis, tam publicis quam privatis, inſtitui, ordinarive poſſunt.

19 Ultimo dictus *Joannes Poyntz*, & ſocii ſpondent & promittunt, pro ſe, Hæredibus, & Aſſignatis ſuis, in perpetuum, ſe omnia, quæ in hoc Tractatu ab illis promiſſa ſunt, datis Fidejuſſoribus mercatori-

bus Hamburgi, nimirum
in ſumma ſacroſanctè velle tenere & obſervare. Imo, ſi quis ex dictis Fidejuſſoribus vita deceſſerit, vel in decrementum bonorum & fortunæ ſuæ prolaberetur, tunc alium idoneum in ejus locum, pro quantitate ſummæ illius, qua prior obſtrictus fuit, conſtituere,

Quas ſupra ſcriptos Articulos omnes & ſingulos tam veteres quam novos additos, poſtquam

Hamburgi fidejuſſionem iſtam ſolemniter in ſe ſuſceperunt, cum omnibus ſuis punctis & clauſulis Nos ratihabere atque confirmare voluimus, prout hiſce ratihabemus atque confirmamus, & ut in futurum, tanquam Conventiones reciprocæ perpetuo & inviolabiliter ſerventur & obſerventur. Nos FRIDERICUS CASIMIRUS *Dei Gratia*, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Dux, pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris manu, ſigilloque Ducali, & ego *Joannes Poyntz*, & ſocii, pro nobis, Hæredibus, & Aſſignatis noſtris, ſubſcriptione & ſigillis noſtris communivimus. &c.

Lit. I.

NOS FRIDERICUS CASIMIRUS, *Dei Gratia*, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Dux.

OMnibus & ſingulis, quorum intereſt, præſentes haſce literas patentes noſtras viſuris vel lecturis notum teſtatumque facimus; Poſtquam pro plantanda Inſula Noſtra Tobago, in America ſita, coloniaque eo tranſportanda, cum Nobili *Joanne Poyntz* & ejus Sociis, de diverſis Conditionibus, atque Articulis convenimus, quibus certa dictæ iſtius Inſulæ Noſtræ pars, & denominatus terræ Jugerum numerus Societati illi tradi, aſſignari ac concedi debeat, neceſſumque fuit, ut gubernandæ ſocietati, adminiſtrandæque Noſtro nomine Inſulæ Gubernator â Nobis conſtitueretur. Ipſius vero *Joannis Poyntz* perſona, ob inſignem ejus, qua pollet, Inſularum Americanarum notitiam & experientiam, ſingularemque ſuam dexteritatem quàm maximè commendata fuit; Conſultum Nobis viſum fuiſſe, dictum *Joannem Poyntz*, Gubernatorem Noſtrum iſtius Inſulæ Noſtræ Tobago, conſtituere: prout hiſce illum conſtituimus atque confirmamus, ut vigore præſtiti Juramenti Nobis Succeſſoribusque Noſtris,

fidelis & obediens sit & maneat, concreditam fidei suæ Insulam, pro Nostro Successorumque Nostrorum emolumento, secundum normam conscientiæ suæ, præscriptosque in Pacta cum Eo & ejus Sociis conventione Articulos, administret, damna, & quæ in detrimentum Nostrum, Insulæque Nostræ vergere possent, avertat, quæcunque pro exequendis scriptorum in dicto Tractatu Articulorum punctis necessaria esse poterunt, fideliter adhibeat & observet, imprimis, ne deserta vel inculta jaceant ulla terræ Jugera ipsi & Societati ejus destinata, omnem curam gerat, Mandatis Nostris omni tempore morigerum & obtemperantem se præbeat, honorem authoritatemque Nostram, pro posse suo, defendat, in cæterisque omnibus ita, ut fidelem Gubernatorem decet, sese exhibeat. In cujus rei fidem &c.

Lit. K.

OP huyden den 19 Mey 169 compareerde voor my *Jan Volkertsz Ely*, openbaer Notaris tot Amsterdam residerende, by den Hove van Hollandt geadmitteert, d'Heer en Mr. *Huybregt Lampsins*, Raetsheer in den Raed van Vlaenderen, residerende tot Middelburgh in Zeeland, zoo voor hem selfs en als procuratie hebbende van Vrouw *Josina de Haze, weduwe*

en

en Boedelhouſter wylen d'Heer Adriaen Lampſins, in ſijn leven Bewindthebber der Geoctroyeerde Ooſt-Indiſche Compagnie ter Kamere van Zeelant tot Middelburg voornoemt, blykende by de Acte van procuratie aldaer gepaſſeert, voor den Notaris *Martinus van Swieten*, en ſeekere Getuygen, op den elfden deſer tegenwoordige maandt en jaere my Notaris vertoont, mitsgaders den Heer *Johan Lampſins*, Raedt en Oudt-Schepen der Stadt Vliſſingen, oock zoo voor hem ſelfs, ende mede als procuratie hebbende van ſijn Broeder *Geleyn Lampſins*, beyde Zoonen ende Erfgenamen van wylen den Heer *Cornelis Lampſins*, in ſijn leven Ordinaris Gecommitteerde ter Vergaderinge van haer Hoog Mog. de Heeren Staten Generael der Vereenighde Nederlanden, hun Vader was, mede vermogende Acte van procuratie daer van zynde, ten ſelven dage ende jaere, tot Vliſſingen gepaſſeert, voor den Notaris *Abraham Huyſſen* en Getuygen, insgelijx my Notaris gebleken, geſamentlijk in de voorſz qualiteyt, als Verkopers ter eenre, ende aen de andere zyde als Koopers, (*wegens de Edele Groot Mog: Heeren Staten van Hollandt ende Weſt-Vrieſlandt*, onder de directie van d'Ed: Mog: Heeren Gecommitteerde Raeden ter Admiraliteyt van het Collegie reſiderende binnen deſe Stadt Amſterdam) *de E E. Heeren ten Hove*, *van den Boetſelaer*, *vander Duſſen*, en den *Secretaris de Wilt*, als uyt het wel-gemelte Col-

legie hier toe gedeputeert. Verklarende de Heeren eerſte Comparanten in qualité voorſz verkocht, overgegeven, afgeſtaen, gecedeert, ende in vollen ende vryen eygendom ten eeuwigen dage getranſporteert te hebben, ſulcx ſy doen mits deſen aen de voornoemde Heeren twee Comparanten, het Eylant *Tobago*, alias Nieuw Walcheren aen de Caribiſche Eylanden, met alle Recht en eygendom, hun Heeren eerſte Comparanten daer aen competerende, al het welk de Heeren tweede Comparanten ten behoeve van hoog-gemelte haer Ed. Groot Mog:, *(ſonder te examineren den Titul daer onder* het door de Heeren *Lampſins* werd geſuſtineert te mogen beſitten) ook alſoo in koop aennemen, ende dit voor een ſomme van ſes en dertigh duyſent guldens, van twintigh ſtuyvers het ſtuck, te betalen in drie paeyen; namentlijk d'eerſte paeye zoo haeſt alhier behoorlijk blyken zal werden getoont, dat de voornoemde Heeren Koopers haer ſelfs in de poſſeſſie van 't voorſz Eylandt ſullen hebben geſtelt ende geveſtigt; de tweede paey ſes maenden daer naer, en de laetſte paeye ſes maenden daer aen volgende; Ende is vorders geconditioneert, dat de Heeren Verkoopers aen haer, en haer Recht verkrygende, zullen blyven behouden de vier Plantagien by hun, ofte hun voornoemde Heeren Vaders op 't voornoemde Eylandt gebout, te weten twee Grooten

ge-

genaemt den Ram, en het Lam, ende de twee andere genaemt de Koeyman en 't Schaep; mits alle de ſelve ten ſpoedigſten doenlijck, (ten langſten binnen een jaer na dato deſes) te ſullen moeten aenvaerden, en bebouwen, en dat in 't reguard van de voornoemde twee groote Plantagien, ſy Heeren Verkoopers en hun Succeſſeuren, met of wegens de ſelve Plantagien tot den jare ſeventienhondert incluys, vrye ende exempt ſullen weſen van alle Hooft-gelt, Erfpagt, ende andere laſten, van conſumptie, die geintroduceert ſoude mogen werden, ook de ſelve twee Plantagien met kenniſſe en conſent van den Gouverneur, zo verre agter uytbrengen als 't nodigh zijn zal, om op yder van de zelve te konnen employeeren, twee hondert Slaven, en in 't reguard van de twee andere Plantagien, dat de ſelve Heeren Verkopers, en hun Succeſſeuren die ſullen hebben in vryen en erffelijcken eygendom, ſonder dat die ooyt met eenige Erfpacht tot erkenteniſſe van den Grontheer ofte Souveraein beſwaert ſullen mogen werden: Ende wyders, dat de voornoemde Heeren Verkopers vermogen ſullen haer eygen Schepen alle jaren tot ſes in het getale naer de voornoemde Colonie uyt Zeelant met haere Goederen te zenden, ende aldaer weder te laten inkomen, mits betalende de behoorlijke recognitie van de ſelve Schepen, ten behoeve van de Admira-

miraliteyt alhier, des hen Verkopers guaranderende, wegens de Ooſt-Indiſche Compagnie in Hollandt. Laeſtelyk ſullen de Heeren Verkopers gehouden zijn, 't voorſz Eylant Tobago ten behoeve van de Heeren Koopers vry te waren, ſoodanig als ſy Heeren Verkopers 't ſelve uyt kragte van 't Octroy van den Staet, ende de Weſt-Indiſche Compagnie hebben beſeten, mitsgaders af te houden alle op ende aenſpraake, die by iemant 't ſy ook uyt kragte van hoedanige Contracten met particulieren gemaekt, ſoude mogen werden gemoveert, ſulcx alles ſy Heeren Verkopers aennemen mits dezen, onder verbandt van hun en hunne principalen, perſonen ende Goederen als na Rechten.

Ten oirkonde hebben de voornoemde Heeren Comparanten deſen ten wederſyden geteekent. Actum in Amſterdam ten dage ende jaare als boven.

Lit. L.

Au Roy

SIRE,

POur obeir aux ordres que nous avons receu de voſtre Majeſté en ſon Conſeil le 7. de ce mois, nous avons examiné la requeſte de Mr. Nicolas du Pin,

Pin, & autres qui y étoit jointe, Suppliants que le Contract qu'ils ont passé depuis peu avec l'Envoyé du Duc de Courlande, en veüe d'une établissement dans l Isle de Tobago puisse recevoir vostre Royale approbation, surquoi nous representons humblement a vostre Majesté.

Que l'Isle de Tobago est une des Caribes, dont le Chevalier *Thomas Warner* prit possession, pour la Couronne d'Angleterre, l'an 1626. & laquelle en 1664. fut Octroyée au Duc de Courlande par sa Majesté le feu Roi Charles seconde, pour la tenir & posseder sous la protection de sa Majesté, sous condition, que le dit Duc ne souffriroit jamais, qu'elle fut habitée par d'autres que par des Anglois, & Courlandois, & que ni le Duc ni aucun autre pour lui ou pour ses sujets ne chargeroit aucunes marchandises & ne les transporteroit que dans les Ports appartenants a l'Angleterre & a la Courlande, ou dans celui de la Ville de Dantzig Et qu'en redevence de ce Titre, il seroit de plus obligé de fournir a sa dite Majesté un Vaisseau de 40. pieces de Canon. Cependant malgré cet Octroy, la Compagnie Hollandoise des Indes Occidentales fut en possession de la dite Isle jusqu'en l'anné 1672, qu'y ayant guerre avec les Etats Generaux, Elle fut reprise par les Anglois & aux seul fraix & depens de la Couronne; sans

 que

que le Duc de Courlande ait fournis allors, ni dans aucune autres temps, un Vaisseau tel, qu'il étoit convenu par le dit accord, & quoi que le dit Octroy ait restraint le Commerce aux Ports appartenants à l'Angleterre & à la Courlande, ou a celui de la Ville de Dantzig. Neanmoins par articles reglés enter *Abraham Marini*, Resident pour le Duc de Courlande, & le Capitain *Poyntz*, datez du 20. Septembre 1681. il a été accordé au nom du Duc, au dit *Poyntz* & compagnie, six vingt mille aicres de Terres avec liberte de negotier dans quelque Partie du monde que ce soit & demeurer Neutres en cas de guerre entre Sa dite Majesté & le Duc de Courlande, ou aucun autre Prince Etranger, avec qui le dit Duc pourroit être en Alliance. Les quelles Condition sont directement contraires à l'Octroy dont il a été fait mention, & marquent clairement un desaveü de la Protection de la Couronne d'Angleterre pour ces raisons, & d'autant que l'Isle de *Tobago* à souvens changé de de maitres depuis le premier Octroy, & que le Duc de Courlande n'a pas fait l'Etablissement au temps qu'il falloit, le dit Octroy a été declaré non valablé, de sorte qu'il nous semble avec soumission, que Vôtre Majesté ne peut pas en droit connoitre le titre du Duc de Courlande, ni permettre à ses sujets de s'établir dans cette Isle la, puisque si les habitans sont reputez

Etran-

Etrangers & dependants d'une Prince Etranger il ne ſera licite a aucuns habitants des Plantations ou Domaines de voſtre Majeſté en Amerique d'entretenir aucune Correſpondance ou Commerce avec eux, & s'ils ſont reputez ſujet de voſtre Majeſté, comme étant ſous voſtre Gouvernement & Protection Royale, il eſt ſemblablement ordonné par les loix & Actes de Parlement de ce Royaume, qu'ils ne pourront Negocier ou Trafiquer avec aucun Etat ou Pais Etranger.

Ceci étant la même choſe en ſubſtance, que ce qui a été dreſſé autrefois pour ſervir de reponſe au derniere Envoye du Duc de Courlande, & étant conforme a ce que nous avons repreſenté depuis peu a voſtre Majeſté dans deux differentes occaſion, ce que voſtre Majeſté a bien voulu approuver, en faiſant Defenſe a toutes ſortes de Perſonnes, ſoit d'Angleterre ou aucun autre endroit, d'entreprendre aucun Etabliſſement dans cette Iſle la; Nous n'avons rien a y ajouter.

A Withehall ce 28 Mars 1700.

Et nous ſoumettons le tout trés-humblement au jugement de voſtre Majeſté.

Stamford.
Lexington.
Ph. Meadows.
Wm. Blathwayt.
John Polexfen.
Abr: Hill.
George Stepney.

Copie d'aprés l'original.

John. Povey.

Lit. M.

Acta & Conventa inter *Johannem Christophorum Prætorium*, Illustrissimi ac Celsissimi Domini *Ducis Ferdinandi* Curlandiæ ac Semigalliæ, Illustrissimi ac Celsissimi Principis, *Friderici Wilhelmi* Curlandiæ ac Semigalliæ Ducis, constituti Tutoris, prædictorumque Ducatum Administratoris, Cameræ Consiliarium & ad Sacram Regiam Magnæ Brittanniæ Majestatem pro tempore Ablegatum ex unâ, Et *Nicolaum du Pin* de London Armigerum, *Johannem Britton* de Slig-Littleton in Comitatu Somersett Armigerum, *Thomas Puckle, Johannem Beighton, Ricardum Goddart*, de London Mercatores & *Josephum Blake* de Templo interiori London. Generosum, ex altera parte; super Insula, quæ Tobago dicta & in Americâ inter illas quæ Charibes dicuntur sita, plantanda & excolanda; quam in rem prænominatus Ablegatus Illustrissimæ suæ Celsitudinis speciale mandatum & datam sibi plenam potentiam produxit cujus hic tenor erat. *Nos Ferdinandus Dei Gratia in Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Tutor & Administrator. Universis & singulis, iis imprimis quorum Interest, notum testatumque facimus. Nos Ablegato nostro & fideliter Dilecto Nobili Joanni Christophero Prætorio, Ducalis Cameræ Consiliario, plenam potentiam dedisse, uti præsentium*

tium vigore damus, cum Anglis vel quibuſcunque aliis S. R. Majeſtatis Angliæ ſubditis ſuper Inſulâ Tobago nuncupatâ, quam Domus Curlandica Ducalis tenet, tractandi, Conditiones prout ille ipſas Domui Ducali proficuas, ejusdumque dignitati condignas adinveniet, uſque ad ratificationem Noſtram, accipiendi vel meliorandi, Contractumque deſuper ineundi & in ſcriptis concipiendi. In hujus rei fidem hancce Plenipotentiam Manu Noſtra ſubſcriptam ſigillo Noſtro Ducali muniri juſſimus. Datum Mitaviæ die triceſimo Octobris Anno Dni. 1699. Ferdinandus Dux Curland. L. S. vigore hujus Mandati,

1 Dat igitur & concedit Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis, Domini Ducis Ferdinandi Curlandiæ ac Semigalliæ, tanquam Tutoris & Adminiſtratoris, nomine, modo dictus Ablegatus, *Nicolao du Pin, Johanni Britton, Thomæ Puckle, Johanni Beighton, Ricardo Goddard & Joſepho Blaeke*, & cunctis eorum Aſſociatis vel Aſſignatis eorumque Heredibus, Quinquaginta Agrorum Millia Anglicanæ Menſuræ, (Anglice Acres) quam juxta 47520. millia pedum unius Agri ſuperficiem conficiunt. Quæ quinquaginta millia Agrorum ſupra nuncupatæ Societati in ea Inſulæ Tobago orâ, quam ipſa, poſtquam Inſulam acceſſerit, ſub initium ſtatim electura eſt, uno contiguo ſpatio per Geometram aliquem juratum æque ac juſte aſſignabuntur.

2 Cautum porro eſt, ut circa ſingulos univerſæ inſulæ

& dicta quoque Quinquaginta Agrorum millia attingentes portus, duocentum Agri Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Duci Curlandiæ, ejuſque Hæredibus ac Succeſſoribus, propria permaneant & in ejusmodi ſpatio, quod Munimentis pro defenſione Inſulæ exſtruendis aut dilatandis impedimento non ſit, aſſignentur. Hos autem duocentum Agros circa ſingulos Portus, Illuſtriſſima ſua Celſitudo ejuſque Hæredes & ſucceſſores pro arbitrio excolifacere aut quibus viſum fuerit habitandos & excolendos tradere poterunt, nec quidquam in eos, aut reliquam Inſulæ partem, prædictæ Societati juris erit, niſi peculiariter de his imposterum Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini aut Hæredibus & Succeſſoribus ejus convenire placuerit. Quod ſi vero Illuſtriſſima ſua Celſitudo reſiduos Inſulæ Agros alteri cuidam Societati, præter ſubditos ſuos Curlandos, elocare conſtituerit, modo dicti tamen *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*, *Johannes Beighton*, *Ricardus Goddard* & *Joſephus Blaeke*, eorumque Conſociati vel aſſignati & Hæredes, ſi bene ſe geſſerint easdemque quas reliqui Conditiones obtulerint, præferentiam habebunt.

3. Quinquaginta vero Agrorum millium nuncupatæ Societati conceſſorum numero, reſervati circa Singulos Portus Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini ejuſque Hæredibus ac Succeſſoribus duocentum Agri non continebun-

nebuntur; sed integra illa prædictorum Quinquaginta millium Agrorum quantitas dabitur; Cujus gratiâ dicti *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*, *Johannes Beighton*, *Ricardus Goddard & Josephus Blake*, *&c.* & eorum Consociati vel Assignati, pro se Hæredibus suis ac posteris, post trium Annorum omnigenam immunitatem (, ducto hujus initio ab ipso primi aditus & occupatæ possessionis momento,) annuum canonem duorum Denariorum Monetæ Anglicanæ, quorum duocenti quadraginta unam Libram Sterlingicam conficiunt, Illustrissimæ Celsitudini ejusquè Heredibus ac successoribus, tanquam Possessores & Emphyteutæ supra nominatorum Quinquaginta Millium Agrorum, in Directi Dominii Recognitionem, spondent ac pollicentur, hâc adjectâ clausulâ, ut si intra sex Menses post Terminum solutionis elapsum, promissus hic duorum Denariorum canon a suâ Celsitudine aut ejus Mandatario requisitus in dicta Insusula per possessores non solvatur, Illustrissimi ac Celsissimi Curlandiæ Duces, illum paratâ semper Executione urgere queant. Excipiantur ab hâc prædictâ trium Annorum immunitate, omnes reditus Regales, ut sunt Metallorum, Unionum, Ambræ, Fisci, & illa, quæ Articulo decimo nono exprimitur, summa.

4. Omnia Principatus seu superioritatis Jura & Regalia,

lia, tam Majora quam Minora, Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini ejuſque Hæredibus ac Succeſſoribus integra permaneant, niſi quatenus circa quædam ſubſequentibus Articulis conventum eſt, aut Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Duci Curlandiæ ejuſque Hæredibus ac Succeſſoribus in poſterum convenire placuerit.

5 Regimen Inſulæ liberæ inſtar ſit Rei-publicæ, cujus formula, una cum Legibus fundamentalibus ac generalioribus, peculiari carta conſignabitur, & ab Illuſtriſſimâ ſuâ Celſitudine confirmabitur, eodem plane loco habenda, ac ſi huic Contractui verbotenus inſerta foret.

6 Omnis Juriſdictio, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Curlandiæ Ducis Nomine, adminiſtrabitur, cui ut & Hæredibus ſuis ac Succeſſoribus, Gubernator, Miniſtri, ſive ſint Civiles ſeu Militares, Eccleſiaſtici aut Status, una cum omnibus Incolis, tanquam Principi ac Domino ſuo, ſalva tamen Ligeantia Sereniſſimo ac Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Regi debita, porrectâ in altum dextrâ, fidelitatis Juramentum præſtabunt: illi vero, quos Quakeros appellant, juxta Normam in Anglia conſuetam, fidem ſpondebunt, quæ Juramento æquivaleat.

7 Quamvis Gubernatorem Inſulæ pro lubitu conſtituendi ac confirmandi Poteſtas Illuſtriſſimæ tantum Celſitudini competat, pro communi tamen Commodo

do ac prædictæ Coloniæ majori incremento promovendo id circa sequentem in modum conventum est, quod scilicet *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*, *Johannes Beighton*, *Ricardus Goddard & Josephus Blake*, *&c.* & eorum Consociati vel Assignati primum Gubernatorem, qui hujus Muneris optime gnarus sit, eligant, illumquè ad dies vitæ approbandum ac confirmandum suæ Celsitudini aut ejus Mandatario sistant. Post obitum verò aut resignationem ejus, proximo ac immediatè subsequenti quatuordecim Annorum intervallo pendente, quoties alius erit eligendus, tres subinde personas dicti *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*, *Johannes Beighton*, *Ricardus Goddard & Josephus Blake*, & eorum Consociati vel Assignati nominnet, unde Illustrissima sua Celsitudo unam eligat & Gubernatorem constituat. Præterlapso hoc dictorum quatuordecim annorum spatio, Illustrissima sua Celsitudo ejusquè Hæredes & Successores, Singulo Quinquennio Gubernatorem libere elegent, constituent, aut si bene administraverit in aliud Quinquennium, pro arbitrio, confirmabunt. Subsecuto autem per obtium Gubernatoris, aut resignationem, interegno, deputatus Guberntaor, à suâ Celsitudine constitutus aut Senior Consiliarius Status Regimini præsit, usquè dum alius in defuncti aut resignantis Gubernatoris locum substituatur.

8 Post dictum supra triennium, quod immune erit, certa subinde Tributa & Vectigalia a Gubernatore, Consiliariis & Deputatis districtuum constituantur, & Thesaurario prædictæ societatis exsolvantur; Unde sumptus, pendente hoc Triennio à Societate in Insulam facti paulatim & quos in posterum socitatis faciet, pro conservatione Munimentorum & salariis Ministrorum, quæ in formula Regiminis designabuntur, decucantur, residui partem dimidiam integram Illustrissima sua Celsitudo ejusque Hæredes ac Posteri habeant, alteram Societas; quæ singulis annis rationem indè Illustrissimæ suæ Celsitudini aut ejus Mandatario reddat, quantumque illi debitum exsolvat.

9 Metalla, Uniones, Ambra, aliaque similia, quæ in totâ Insulâ aut Littore ejus inveniuntur, prænominata Societas, producendi, quærendi aut colligendi operam navabit: sumptus in id factos detrahet, lucri dimidiam partem integram Illustrissimæ suæ Celsitudini ejusquæ Hæredibus ac Successoribus exsolvet alteramque ipsa capiet. Quod si vero Illustrissimæ suæ Celsitudi hæc Conditio non placuerit integra ea omnia & soli suæ Celsitudinis operæ ac usui relinqui debent.

10 Silvæ in residua Insulæ parte aut prædictis duocentum Agris sitæ nullius usui pateant, nisi quantum sua Celsitudo permiserit.

Fisca-

11 Fiscales reditus, sua Celsitudo ejusquè Hæredes ac Successores, integros in perpetuum habeant.

12 Omnes Merces, quæ ex Americanis Oris in Mare Balticum à prænominata Societate exportabuntur, *Nicolaus du Pin, Johannes Britton, Thomas Puckle, Johannes Beighton, Ricardus Goddard & Josephus Blake, &c.* pro se & Consociatis suis eorumquè Hæredibus, primum omnium ad Portus Curlandiæ advehere pollicentur, ita tamen, ut Illustrissima sua Celsitudo ejusquè Hæredes ac Successores nihil inde, præter Vectigalia consueta, quæ a subditis aut aliis ipsi exsolvuntur, efflagitet, ea quæ in Curlandiâ vendi haud poterunt, libere ac absquè ullo Tributo Dantiscum aut alia in contractu cum Sacra Regia Magnæ Britanniæ Majestate Anno Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Quarto inito, expressa loca, exportare sinat, & prædictæ Societatis Stapulam, quam in Curlandiâ constituet, contra injurias & vim quamvis illatam tueatur.

13 Præter hæc, quæ prædicta sunt, Beneficiis omnibus, quæ in Contractu die decimo Septimo Novembris Millesimo Sexagesimo Quarto Anno inter Serenissimum ac Potentissimum Magnæ Britaniæ Regem Carolum Secundum & Illustrissimum ac Celsissimum Principem Jacobum Curlandiæ Ducem, inito, continentur, utendi fruendique Jus nuncupata habeat Societas.

14 Quod si Bellum inter sacram Regiam Magnæ Britaniæ Majestatem & alium quendam Regem aut Principem exortum fuerit, quo Insula Tobago directè aut indirectè implicari possit, Illustrissima sua Celsitudo sive Hæredes & Successores ejus operam enixè dabunt ut Neutralitatem à partibus Belligerantibus Insulæ impetrent, omnemque vim & Invasionem indè, quantum poterunt, avertant.

15 Etsi quidem Illustrissimus ac Celsissimus Curlandiæ Dux Jacobus Beatæ Memoriæ in Contractu prænominato, tempore Belli Navem Bellicam promiserit, prædicta Societas, juxta Contractus istius tenorem, Insulæ sumptibus, eam præstare pollicita est.

16 Cautum præterea quoquè, quod Illustrissima sua Celsitudo de tempore ad Tempus unum aut plures Commissarios ad Insulam ablegare possit; qui reditus suos recipiat, Regiminis statum & quæ ad commodum Insulæ aut suæ Celsitudinis spectant, examinet.

17 Conventibus aut Comitiis prædictæ Societatis Ablegatus suæ Celsitudinis aut alius quilibet Mandatarius Londini Residens semper adsit, liberumquè votum in iis quæ ad stabilienda Commercia & opificia aut aliud quoddam Insulæ commodum pertinent, habeat.

18 Quotiescunquè Illustrissimi & Celsissimi Curlandiæ Duces

Duces Regimen prædeceſſoris ſuſcipient, prædicti *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*, *Johannes Beighton*, *Riccardus Goddard* & *Joſephus Blake*, *&c.* & eorum Conſociati vel Aſſignati & Hæredes Contractum ſuum hunc per Novum Ducem confirmari curæ habeant.

19 Iidem ſcilicet *Nicolaus du Pin*, *Johannes Britton*, *Thomas Puckle*. *Johannes Beighton*, *Riccardus Goddard* & *Johannes Blake*, *&c.* & eorum Conſociati vel Aſſignati ſpondent quoquè & pollicentur, antequam ullam Expeditionem in dictam Inſulam Tobago ſuſceperint & ſtatim ſimul ac Sacra Regia Magnæ Brittanniæ Majeſtas eorum inſtituto annuerit huncque Contractum confirmaverit, mille libras ſterlingicas Domino Ablegato, pro Illuſtriſſima ſua Celſitudine exſolvere, & deniquè proximis ſubſequentibus annis totidem; ita ſcilicet ut Quinquè centum libræ ſterlingicæ menſe Novembri Anni ſubſequentis milleſimi ſeptingenteſimi primi, reliqui Quinquè centum libræ eodem menſe Anni Milleſimi ſeptingenteſimi ſecundi, ubicunquè Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini placuerit, numerentur.

20 Cautionem, omnia ac ſingula quæ præſenti hoc contractu continentur à dictis *Nicolao du Pin*, *Johanne Britton*, *Thomâ Puckle*, *Johanne Beighton*, *Richardo Goddart* & *Joſepho Blake*, & eorum Conſociatis

vel Consociandis vel Assignatis ac Hæredibus fideliter observatum iri, peculiari consignatam cartâ dent, quæ ejusdem sit valoris ac si verbotenus hic inserta foret.

21 Si spatio sex Mensium nuncupata modo societas expeditionen nullam susceperit, nec stipulatos Agros unius abhinc Anni intervallo plantare cæperit aut alio aliquo modo Conventis invicem contravenerit, Contractus hic nullus & quasi non actus reputetur, sumptus quoque inde facti si, quod Deus avertat, Conatus hic frustraneus extiterit, suæ Celsitudini aut ejus Hæredibus ac Successoribus incommodo non sint. Dicti autem sex Menses à tempore subscriptionis computandi.

22 Cæterum Acta hæc & Conventa prædictus Ablegatus Illustrissimæ suæ Celsitudini ratihabenda transmittere receptamque eorum Confirmationem Societati extradere pollicetur. Quod si verò prædicta Societas, antequam suæ Celsitudinis Ratificatio impetrata fuerit, ob prægnantes rationes Naves suas ad dictam Insulam emiserit non alio nisi suæ Celsitudis nomine hoc fieri debere cautum est.

23 Tandem si quæ difficultas Orta fuerit Articulorum, Expressionum aut Clausularum hujus Contractus, specialiter provisum est, ut per tres aut plures Judices Arbitrarios talis eorum fieri debeat Interpretatio, quam

quam digniorem favorabilioremquè Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudini & Hæredibus aut Succeſſoribus ejus fore judicabunt; In hujus rei fidem majuſquè robur contractus hic in ſcripturam redactus mutua utriuſquè partis ſubſcriptione & ſigillis firmatus eſt. Actum Londini die Nono Decembris Anni Milleſimi Sexcenteſimi non.

(L.S.) *Joh: Chriſtoph: Prætorius.* tanquam Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis Ablegatus.

(L.S.) *Richard Goddard.*

(L.S.) *Nicolas du Pin.*

(L.S.) *Joſ. Blake.*

(L.S.) *Joh: Britton.*

(L.S.) *Tho: Puckle.*

Lit. N.

Tractatum Baronis *Blumbergii*, qui ante meum factus eſt cum mercatoribus Londinenſibus, á *Nicolao du Pin* mihi communicatum, ex Anglicano Sermone, quem leviter me callere fateor, in latinum, quantum quidem utriuſque & diverſæ quidem linguæ natura permiſit, transferre auſus fui. Blumbergius excerptâ potius, non ipſum ad Sereniſſimam ſuam Celſitudinem tranſmiſit Contractum, prout initus fuit. Germanica ejus tranſlatione utpote ignarus eo tempore idiomatis Anglicani, fide bonâ in tractatu meo conficiendo uſus fui. Tarde etiam & poſtquam cum Societate, in Contractu meo expreſſa, jam

jam dum, de novâ quadam Colonia constituenda, consilium & conventiones, ipso præsente & consulente Barone de *Blumberg*, inieram, tractatus illius, cum adscriptis observationibus & monitionibus communicatus fuit. Præmissa dicti *Blumbergii* verba tractatui suo hujus fuerunt, quantum memini, tenoris: *Quoniam in perquisitione mea* Poyntzii *Societatem, quoad plurimum, ab illo defeciſſe comperi & nullus ferè cum dicta Insula rem habere volebat, niſi illis monſtrarem, inſtructionem & novæ cujuſdam Societatis erigendæ gratia datam mihi commiſſionem, hanc iis exhibere cogebar. Et quamvis juxta iſtam nullam ad concludendem ſed referendum potius plenipotentiam, habebam, nullus mecum tractare voluit, niſi articulos conficerem, ne fallerentur atque ad minus neceſſarios ſumptus facere cogerentur. Perpenſis hiſce cum fidelium amicorum delectu & neceſſum fore viſo, ut Inſulæ caperetur poſſeſſio, quia hæc à nonnullis pro deſerta habebatur & fama ferebat, magnam ex Scotia coloniam multis in Americam transferri navibus, ſedes capeſſendi gratia, quæ viderentur optimæ; eo uſque cum illis tranſegi, quam Sereniſſimi Principis ratificatio advenerit, prout Articulus vigeſimus primus oſtendit; Operam quoquè ſummam & poſſibilem novabo eos detinendi eò tenus quam hunc deſuper contractum aliquod reſponſum fuerit ſecutum. Quod ſi vero iter ſuum ſuſceperint, antequam ratificatio ad nos delata fuerit, vi Inſtructionis meæ, à propoſito illos non diſtinebo. Sufficit me fidelis inſtar ſervi* (ſeu Miniſtri) *in iis exhibuiſſe, que juxta meam opinionem Sereniſſimæ Domui utilia videbantur. Ad Publicam quoquè notiam mihi verè licebit provocare, in toto hoc habitabili terrarum orbe ejusmodi lucroſas ſeu utiles conditiones, pro nullo principe fuiſſe factas, ſicuti hæ ſequentes ſunt, quibus univerſorum*

sorum sumptuum periculum & totam expeditionem in Aggressores saltem cadere & adhuc duos asses pro Agro annuatim in perpetuum solvi debere provisum fuit, præter emolumenta futura. Nequè is duorum assium census exiguus adeo est; Siquidem in Anglia multa centena Agrorum millia pro uno asse, in recognitionem solidam pro singulis agris, obtineri queunt, si qui modo inveniantur, qui suis sumptibus terram excolere velint; addatur etiam, in Irlandia & America *tanto majorem terræ quantitatem minori pretio palam prostare. Præterea ante quasi exsolvunt, seu prænumerant, Serenissimæ Vestræ Celsitudini summam pecuniæ, ubi hæc provisio facta fuit, ut singulis annis aliquid exhibeatur; cum é contrario* Pointzius *pendente septem annorum, spatio nihil dare seu solvere teneretur. Nova quoque Societas recentem Gubernatorem honestè obligatur sustentare, qui sumptus, mille libris sterlingicis, per annum, ipsis constabunt: confido etiam, æque benè ab illo Gubernatore Celsitudini vestræ fidem præstitam iri, ac si expressè aliquem eò transmiserit; taceo quod res ejusmodi una cum expeditione magnas expensas seu sumptus requirat. Solum, quod Angli hac in re lucrum sperant, inde resultat, quod a Principe quodam Neutrali dependeant, sub cujus Protectione plus futuro tempore lucrari queunt, quam sub ipso Rege suo; atquè hoc quoquè est, quod in debito illos continere debet obsequio. Nullus invenitur princeps, qui ad ejusmodi conatus non aliquid conferat, quo illos, qui plantationes aggrediuntur, adjuvet; Heîc vero omnia in se suscipiunt Angli onera, tantumquè abest, ut Serenissima Domus Curlandica quâcunquè sumptuum parte onerari debeat, quin ipsa potius primo intuitu aliquid lucratur. Decem quinque illa seu viginti sterlingorum millia, quæ ad primum conatum seu expeditionem colligere obligatur Societas, non nisi præliminarium instar habenda erunt;*

siquidem

siquidem brevi tempore, & antequam annus hic præter lapsus rit, dimidio majorem cogere summam tenebuntur. Nam sin vigore & forti manu res hæc præsens adeatur, non meliorem, quam hactenus contigit, successum habebit. Heîc pecunia heîc fides & fundus sufficiens requiritur. Primi hujus anni expensæ, Septuaginta vel octoginta millibus taleris Societati constabunt, si succedere debet negotium; quamquam non nisi periculi faciendi ansa promineat, ubi successus pariter at infelices eventus æquali pondere hæret, & in quo conatu Societas omne, sua Celsitudo autem nullum subit periculum. Nam si res non bene successerit, prout tot annorum frustra susceptæ operæ fatum quasi monstravit, sua Celsitudo ad eundem modo recidit terminum, á quo res incepta fuit. Optarem Societatem hanc nequè rejectione aliquâ aut morâ in Curlandia, nequè aliis quibusque oppositionibus (quas timeo & prævideo, atquè ea propter ab universa harum rerum functione liberari velim) *dissolvi. Nam si id contingat, affirmare ausim, nunquam ad effectum hoc deductum iri negotium. Operam & sumptus, ut & Amicorum meorum,* (qui adeo leves non sunt) *fidem, & quod inter est, hac in re perficienda adhibui; nonnumquam eo usquè totum redactum fuit negotium, quoniam illud nimium extendere nitebar, ut incassum ire videretur. Objici posset, cur* Pointzius *utiles adeo conditiones proposuerit, Societas vero hæc non idem fecerit? Resp: Tota* Pointii *res nuda & simplici chymera nititur, siquidem unicâ alebatur spe, feros, seu gentiles illius oræ colonos, quibus notus & cognitus fertur, magnam & optimam auri argentive fodinarum cognitionem ac detectionem daturos fore, &c. Absquè dubio est, præsentiâ suâ aliquid utile eum ibi procurare posse, quod nempe amicitiam cum feris, qui illum magni facere dicuntur,*

stabi-

ſtabiliendam attinet; cæterum verò nihili plane eſt, tum pecuniæ inopia, tum ætate quaſi conſumptus. Experimentum addam; Pointzium *& creditores ejus nullam plane intentionem habuiſſe, additamenta* (ſupra tractatui a Marino cum Pointzio & ſociis inito affixa) *accipiendi; Sæpius enim propoſui ſenem illum cum nova hac ſocietate conjungere & ſub unas easdemque conditiones redigere. A prima autem conceſſione nullatenus dimoveri, quin potius ſeptem annorum libertati & articulis anno* 1681. *inhærere voluerunt. Quando ipſis* Pointzii *literas monſtravi, adhærentes ſeu ſocii ejus dicunt, eo tempore, quò cum Marino contractus fuit initus,* Pointzium *ſano ſenſu fuiſſe præditum, jam vero eſſe ſtultum & rationis planè expertem. Verè ſi* Pontzii *vita,* (quæ vix duorum annorum æquare intervallum poteſt) *& præſentis ſocietatis propoſitiones æquè expendantur, exigua ſanè invenietur differentia. Aſt quid opus eſt longam aliam Apologiam conſcribere, cum magnum dubium hæreat, utrum, poſito Contractum hunc approbatum iri, res ſuccedet; ſingulis quoque vicibus monebo, ut Sereniſſimi Electoris Brandenburgici authoritate in hoc negotio fulciar & ſuſtinear: magna nimirum exſurgent obſtacula, palamque patebit, quam difficile ſit navem regere, cujus* puppis *in Curlandia,* Prora *autem in America exiſtat.*

Contractus ipſe *Blumbergii* ex Anglico Sermone in Latinum tranſlatus.

ARticuli & conventa, propoſita, facta & plenariè approbata, die decimo quinto Decembris, anno Domini 1698. & decimo Regni anno, ſupremi Noſtri

Domini, *Wilhelmi Tertii*, per Dei gratiam Regis Angliæ, &c. inter Nobilem *Carolum Baronem de Blumberg*, Ablegatum nunc a Sereniſſimis Celſitudinibus ſuis, Duciſſâ atque Duce Curlandiæ, ad Majeſtatem ſuam, Magnæ Brittanniæ Regem, loco Celſitudinis ſuæ, Domini Curlandiæ Ducis, ex unâ parte; & *Thomam Puckle*, *Nicolaum du Pin*, *Richardum Goddard*, & *Joſephum Blake*, Mercatores Londinenſes & ipſorum propoſitam ſocietatem ex altera parte; prout ſequitur.

1 Hoc eſt; prædictus Ablegatus vi inſtructionis ſuæ & Commiſſionis, datæ Mitavii, die vigeſimo Martii anno milleſimo ſexcenteſimo octavo, (quam produxit,) ſub ſigillo Ducatus prædicti & ſubſcriptione Regiminis, ibi durante Sereniſſimæ Suæ Celſitudinis *Friderici Wilhelmi in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Ducis* Minorennitate conſtituti, poteſtatem habens erigendæ & conſociendæ nova cujusdam coloniæ, ad plantandam Suæ Celſitudinis Inſulam, in America ſitam, *Tobago*. Hanc igitur juxta & Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis Domini Ducis Curlandiæ nomine, ſecundum conditiones infra expreſſas concedit, aſſignat & tradit in perpetuum, dictis *Thomæ Puckle*, *Nicolao du Pin*, *Richardo Goddard*, *Joſepho Blake*, & ipſorum propoſitæ Societati, Hæredibus & Aſſignatis, quinquaginta Agrorum in dicta Inſula *Tobago* ſitorum millia, juxta menſu-

ſuram Anglicanam; quæ terræ portio juſtè & in convienti loco dimetienda erit, prout Celſitudini ſuæ, Gubernatori & propoſitæ Societati, cujus infra fit mentio, viſum fuerit, ita ut illa tradatur contigua & abſque alterius cujuſdam terræ mixtura.

Quinquaginta Agrorum millia hîc expreſſa fuerunt; reſiduum pro lubitu Curlandis habitandum concedi poterit; vel ſi dicta quantitas occupata fuerit, Angli pro reſiduo majus pretium offerent. Modo ſemel plantatio incepta ſeu ſuſcepta erit, reliquum pluris erit. Studio expreſſum fuit Agros prænominatos nullam cum quibuſcunque aliis mixturam habere debere, nè Pointzii Sociis anſa ſuppeditetur querelæ, uſque dum veſtræ Celſitudinis bene placitum perceptumſit, utrum ejus Contractus, ſeu conceſſio illi facta, valere debeat vel non, quod abſque expreſſo mandato mihi non decet determinare.

2. Pro hiſce quinquaginta Agrorum millibus dicti *Thomas Puckle, Nicolaus du Pin, Richardus Goddard & Joſephus Blake*, illorum Hæredes, Aſſignati, poſt trium annorum ab ipſo poſſeſſionis (quam intra ſex menſes â dato hujus contractus aggredi pollicentur) occupatæ momento computandorum, liberi erunt ab omni ſolutionis tributo aut aliâ quacunque impoſitione, excepta eâ, quæ infra exprimitur, ſummâ. Aſt præterlapſo dictorum trium annorum intervallo, cenſus & penſio annua duorum monetæ Anglicanæ Sterlin-

gicæ assium, Sereniſſimæ ſuæ Celſitudini, Hæredibus & Succeſſoribus vel Commiſſariis ſolvi debent, â dictis *Thoma Puckle*, *Nicolao du Pin*, *Richardo Goddard* & *Joſepho Blake* & illorum Societate vel Hæredibus & Succeſſoribus ſeu Aſſignatis, tanquam Poſſeſſoribus & Proprietariis præallegatorum quinquaginta millium agrorum; proviſô hoc, dictos duos aſſes pro ſingulis agris, atque alios accreſcentes reditus, ä Sereniſſima ſua Celſitudine, prædicto Duce, Hæredibus ac Succeſſoribus agnoſci & conſiderari debere, digni inſtar pretii & recognitionis, ab eis & hæredibus illorum annuatim exſolvendæ, pro ſupra expreſſorum agrorum, illis hiſce præſentibus, ſub diverſis cauſis & reſervationibus heîc ſpecificatis, conceſſione & pactione in perpetuum: Et ſi cenſus hic intra ſex menſes, poſtquam legitimè requiſitus & poſtulatus fuit, non fuerit exhibitus; debet ac poteſt, Sua Celſitudo, dictus Dux, Hæredes & Succeſſores ſui, legitimè compellere & arreſto proſequi, debitores quoſcunque, uſque dum cenſus fuerit exſolutus.

Juxta Pointzii Contractum ſeptem annorum libertate gaudebant, heîc verò trium ſaltem. Cenſus annuus pro quinquaginta millibus agris quingenti pondera Sterlingica ſingulis annis reddit: Et licet duo aſſes ſaltem pro ſingulis agris expreſſi ſint, phraſis tamen accreſſentium redituum *implicat ſeu mutuo continet incrementum illorum, pro exigentia.*

Ethni-

3 Ethnicis & Naturalibus in prænominata Insula indigenis, si pacatè & quietè sub hoc dictæ suæ Celsitudinis regimine voluerint vivere, facultas dabitur habitationibus & terris suis absque ulla turbatione fruendi.

Æstate præterita Navis Bellica ad insulam ligni cedendi gratia appulit, cujus præsidii seu Nautarum duodecim homines ex specuum & sylvarum latebris oppressi & interfecti sunt : unde feros ibi auctos numero & potentes esse creditur. Igitur Societas quoque magnam Expeditionem molitur securitatis suæ gratiæ; pax vero cum illis necessariò constituenda & conservanda erit.

4 Ita utrimque conventum est, tam inter dictum Ablegatum, nomine Suæ Celsitudinis, suorumque Hæredum & Successorum, quam dictum *Thomam Puckle*, *Nicolaum du Pin*, *Richard Goddart*, *Josephum Blake*, & propositam illorum Societatem, ut omne jus, beneficium & lucrum littoris, totæ Insulæ in circuitu projacentis, metalli fodinarum, Regalium, Piscationis Perlarum & Ambrarum, cum aliis Regalibus dictæ Isulæ annexis, esse & remanere debeant utrique parti conjunctim: hoc est: dimidia pars una æqualis (dabitur scil:) dicto Duci, Hæredibus & Successoribus absomnibus oneribus libera; & altera (horum proventuum) dimidia portio, dictis *Thomæ Puckle*, *Nicolao du*

du Pin, *Richardo Goddard*, *Josepho Blake*, hæredbius & assignatis vel sociis, qui oneribus seu expensis soli tenebuntur. Incolis vero & possessoribus talium metalli fodinarium damnum datum resarcietur, & compensationem recipient, prout hoc æquum putabitur; quo excitentur animi ad indaganda & perscrutanda ejusmodi metalla, quæ suæ Celsitudini, aut Gubernatori suo, commodiora & utiliora videbuntur.

Hic Articulus consuetudini in Gallia & Anglia conformis est, nempe, ut privati suis sumptibus rem expediant & supremo Domino certum aliquod quantum seu censum exhibeant, eò tenus, ac res in Insula stabilita sint; nisi Domus Ducalis aliquas facere expensas voluerit, siquidem omnes res caræ jam & pretiosæ sunt; imprimis, quæ homines in metalli fodinis adhibendos spectant. Hîc forte in monitis *Blumbergii* peccatum & in copia ex Curlandia mihi Londinum transmissa incuriâ scribentis omissum aliquid esse ex mala periodi Germanicè conscriptæ connexione colligo.

5 Suæ Celsitudini & Successoribus reservantur, circa singulos portus, duo centum agri.

6 Quoniam omnis potestas nominandi & constituendi Gubernatorem in præfata Iusula competit & cohæret dictæ Suæ Celsitudini, Hæredibus & Successoribus, nominatus Ablegatus ex parte suæ Celsitudinis consentit & concedit, quod dicti *Thomas Puckle*, *Nico-*

colaus du Pin, *Richardus Goddard*, *Josephus Blake*, & Societas, hâc vice & pro præsenti tempore, in primi Gubernatoris locum, talem eligant personam, quæ digna ipsis videbitur, cum dictæ Suæ Celsitudinis Hæredum & successorum approbatione. Qui Gubernator Juramentum fidei præstabit Suæ Celsitudini, Hæredibus, & Successoribus &c. Tenebitur quoquè & obligabitur insimul æquale inramentum exigere ab omnibus ejusmòdi hominibus, qui in dicta Insula habitabunt, vel adhibebuntur ad quodcunque officium aut munus, quod fidem requirat & utile est, sive fuerit Civile vel Militare, Ecclesiasticum aut Status, salvâ illorum ligeantia naturali suo Principi & Domino debita; & ut Suæ Celsitudini, Hæredibus suis & successoribus, tanquam supremo suo Domino, in dicta Insula morem gerant & obsequantur. Juramentum hocce ab ejusmodi administrabitur personis, quæ de tempore ad tempus à dicto Gubernatore, Concilio, & Assentatoribus his & apud illos constituentur, qui Juramentum prædictum erectâ manu dextrâ præstandi sunt, exceptis vulgò dictis Quackeris, quorum affirmatio, juxta practicam hactenus in Anglia observatam, cujuscunque alterius juramento æquivalet.

Hunc Articulum claris adeo verbis exprimere debui quantum fieri potuit, quia Gubernationem seu Regimen pleno jure sub suæ Celsitudinis potestate & dispositione esse oportet

Enim vero primus Gubernator, respectu laboris & periculi ingentis, quod in extradendis terris oritur, aliarumque difficultatum, ad dies vitæ constitui solet: Reliquis vero seu succedentibus, propter emolumentum proveniens, ejusmodi statio instar præmii ad certos annos conceditur. Certo persuasus sum, Anglos, vacante Gubernatoris officio, eximiam pecuniæ summam pro ejusmodi Gubernatore, quem maxime expetierint, Vestræ Celsitudini daturos fore. Quackeri qui maximè in Coloniis seu plantationibus utiles existunt, Actis Parlamenti a formalitate juramenti, quod alteri cuidam Religioni dediti præstant, liberantur; declaratio autem & subscriptio illorum juramenti instar haberi debet.

7. Si Gubernatorem mori, aut propriâ authoritate Insulam derelinquere, vel munus deponere, seu removeri contigerit, Conventui seu Concilio, juxta votorum pluralitatem, novum Gubernatorem, (nisi jam a Celsitudine sua aliquis fuerit constitutus) deputare & deligere licitum erit, usque dum de ulteriori Suæ Celsitudinis benè-placito vel voluntate constet.

Quod Wallerum illum attinet, qui principiò recommendatus fuit, Anglos illius personâ contentos fore credidi; quare & testimonia ejus transferenda curavi. Dixi verò atque iterum dico, pro nullo me cautionem præstare posse, siquidem & illorum qui eum commendavêre opinio plurimum variat. Illi quoque obstat & objicitur paupertas seu rerum omnium inopia, imo debitorum tanta quantitas, ut in privilegiatis tantummodo locis se continere necesse habeat, nec nisi die Dominica domo exire ausit. Homo præterea fertur omnia, quæ habet, consumere consuetus; quare Societas

quæ

quæ frugi esse debet, si quid boni efficere velit, inutilibus ab illo sumptibus se implicatam iri timet. E contrario talem desiderare videntur, qui ipse bonis seu argenti auxilio non destitutus sit, quique fidei suæ cavendæ gratiâ periculum illorum simul experiri & ad expeditionem partem suam conferre queat. Præterea perhibent plantationum nullam omnimodo illum cognitionem habere, neque in Americanis locis unquam fuisse atque adeo, non nisi Societatis sumptibus, commodum suum stabiliturum fore. Quapropter Societas quoque hæc omni ferè spe destituitur. Porro in nullis conatibus seu expeditionibus unquam fortunæ patrocinio usum fuisse tradunt. Ast, quantumcunque in mea situm erit potestate, illum tuear & protegam, usque responsum ex Curlandia adlatum fuerit. Objicio Societati, ipsum ab illa propositum fuisse, & dico, si suæ Celsitudinis approbatio advenerit, nullum alium me permittere vel concedere illi posse. Valde etiam dubito, sin securitati Vestræ Celsitudinis magis cautum sit, ejusmodi Gubernatore uti, qui Societatis commodo non admodum sit deditus; quamvis hæc obtineat in hisce oris consuetudo, ut in principiò, omnium plantationum Societati, electio concedatur Gubernatoris talis, qui ipsi placuerit; idque propter hanc rationem, ut melius inter illos conveniat. Usu quoque comprobatur, primum Gubernatorem rerum summæ ad dies vitæ præfici, respectu curæ & laboris maximi, quem sub initium suscipere debet, & quoniam multorum annorum spatium præterlabi oportet, antequam fructum aut lucrum ullum insigne adipisci potest. Id vero subintelligendum est; quam diu bene se gesserit.

8 Omnes ac singuli prædictæ Insulæ habitatores seu incolæ, legibus, a Gubernatore, Concilio, & Conventu conditis, se submittere debent; qui quidem Conventus

annuatim deligetur, ſecundum vota generalia incolarum, ſub ſingulis diſtrictibus & diviſionibus: qui (*diſtrictus nempe*) duos, quibus componi volunt Conventum, proponent; Ex quo numero, ſeu duobus Candidatis, prædictâ ſua Celſitudo aut Gubernator ejus, illo tempore conſtitutus, unum deliget vel nominabit, ad complendum Conventus perſonarum numerum talem, qualis (*ſucceſſivo tempore*) utilis & proportionabilis (i. e. *loco tempori & rei conſentaneus*) de tempore ad tempus videbitur, ad repreſentandum populum; qui (*ſc. Conventus*) plenam leges ſalubres ferendi poteſtatem habebit, quæ Regimini, Bono Publiquo, dictæque Inſulæ defenſioni conveniant & ſalutares ſint: omnes porro controverſiæ, materiæ, & quæcunque ad promiſſa vel compromiſſa relationem habent, majori votorum numero determinentur ſeu decidantur.

9 Omnia facta, ſcripta, acta, & ſtatuta, Suæ Celſitudinis, vel in poſterum Hæredum, & Succeſſorum ſuorum, nomine publicabuntur.

10 Conceſſum & licitum ſit ac eſſe debeat, dictis *Thomæ Puckle*, *Nicolao du Pin*, *Richardo Goddard*, *Joſepho Blacke*, & Societati coloniæque, pro meliori defenſione ſtationum, (*vulgo plantationum*) ut & ſecuritate mercium tractandorum negotio eò reſpiciente, in ſupra conceſſorum quinquaginta millium terræ jugerum ſpatio,

tio, ejusmodi castella, munimenta, aggeres ad ripam, armamentaria, atque alias domus, quæ ipsis necessariæ seu commodæ existimabuntur, ædificandi, & præsidia propriis suis sumptibus ac expensis sustinendi.

12 Post trium possessæ Insulæ annorum intervallum, a tributis & oneribus liberum, Gubernatori insimul cum Senatu, & Conventu licebit colligere & exigere, juxta taxationem, vel alio modo, tantam pecuniæ summam, quæ necessaria judicabitur, ad conservandum Regiminis honorem, vel ad exhibenda suæ Celsitudini donaria quædam, vel ad alias quascunque publicæ rei necessitates; Et sua Celsitudo non refragabitur concedere & confirmare omnibus ac singulis habitatoribus seu incolis Insulæ, sive sint emptores aut alii, plenam & liberam terrarum illarum fruitionem, ad quas legitimam habent prætensionem, salvo saltem illi ejusmodi censu & servitute, quæ juxta consuetudinem Suæ Celsitudini, Hæredibus, ac Successoribus, reservata est.

Utilis & lucri plenus hicce articulus est, neque expressio donorum, suæ Celsitudini exhibendorum, pro simplici simulatione vel civilitatis verbo capienda est: Nulla quippe gens Zæli & affectionis suæ designandæ pronior est, quam Anglica, si bene habita, atque Jura Privilegiaque ipsi conservata fuerint. Testimonii instar esto presens Rex, cui hisce annis plus pecuniæ exsolvit, quam omnes Reges, si ab initio Monarchiæ computentur, simul obtinuerunt. His adjeci, quod Suæ Celsitudini libeat ipsis jura & leges suas confirmare, quod nunquam sine eximia argenti summa, præmii, seu doni loco, fieri solet.

12 Supra dicti *Thomas Puckle*, *Nicolaus du Pin*, *Richardus Goddard*, *Josephus Blacke*, eorumque Hæredes & Assignati, dictaque Societas & Colonia habebit, & gaudebit omnibus illis beneficiis & utilitatibus, tractatûs, facti die decimo septimo Novembris, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, inter Majestatem suam *Carolum* Magnæ Britanniæ Regem, &c. & Celsitudinem suam *Iacobum* Curlandiæ Ducem.

13 Si quod Bellum inter Majestatem Suam, Magnæ Britanniæ Regem, aut alium quemcunque Regem aut Statum exortum fuerit, quô Insula *Tobago* directè vel indirecte turbari & illo implicari possit, Serenissima Sua Celsitudo pro suo posse curam habebit, providebit, & a Sua Majestate Magnæ Britanniæ, atque aliis Regibus atque Statibus, Bello isto implicatis, dictæ Insulæ Neuteralitatem procurabit, quâ Neuteralitate omnes dictæ Insulæ habitatores, ab omni hostilitate & invasionibus bellum gerentium principum liberi debeant & queant frui.

14 Post trium primorum annorum ab omnibus tributis liberorum terminum, quæcunque tum ejusmodi vectigalia & tributa, mercium importandarum vel exportandarum, constituta, & mutua Gubernatoris & Conventus publici consensu erecta fuerint; Societati vel Thesaurario exsolventur, tantumque, quantum necessariò requisitum erit, disponetur seu expendetur

ad

ad pecuniæ, in exſtruenda & conſervanda munimenta, aliaque publica onera, pendentibus hiſce tribus annis, à Societate expenſæ, compenſationem : quorum ſumptuum fidelis & juſta ratio libris inſcribenda erit; ea propter, ut hæc ratio Suæ Celſitudini aut Commiſſariis aut ejus nomine curam ibirerum gerenti reddatur, atque reſiduum (abſtractis nempe ſumptibus à Societate, ut dictum, expenſis) in ſolum ſuæ Celſitudinis, dicti Ducis, Hæredum & Succeſſorum uſum ac lucrum redundet; ejus quoque diſpoſitio ſeu exſolutio fiet, prout commodum Suæ Celſitudini videbitur. Quod ſi autem ſuæ Celſitudini hæc propoſitio non placuerit, conventum eſt, hanc ſequentem, accipi poſſe; hoc eſt: Gubernatori, Senatui, & Conventui, ſimul & unâ cum conſenſu Societatis in Anglia, vel illorum in Inſula Tobago Procuratore, ſeu Agente, legere & colligere talia vectigalia & tributa licebit, quæ ad negotiationem ullam habere queant relationem, ſicuti ipſis viſum fuerit; cujus proventûs & perſpicui lucri una dimidia pars Suæ Celſitudini, Hæredibus, & Succeſſoribus; altera prædictæ Societati, fideli & juſta annuâque inde habitâ ratione, dabitur; portioque Suæ Celſitudinis Gubernatori, Commiſſario, aut quomodocunque ſuæ Celſitudini placuerit, exſolvetur.

Maxima heïc difficultas apparuit, pluresque fruſtra ſuſcepti fuêre conventus, antequam hæc adinventa fuit alternativa.

tiva. Non exiguus labor est temperamenti exquirend quiô, prærogativa Principis & immunitas populiqueant conciliari. Anglorum Magna charta & fundamentales leges *istâ nituntur reservatione, ut ipsis semet ipsos æstimare liceat, neque ullum imponatur tributum, absque populi consensu. Si quis historiam vel parum inspexerit, nullam civilis belli & tumultus, qui* Carolum primum *Britanniæ Regem oppressit & destruxit, rationem fuisse patebit, quam legum ejusmodi infractionem, & precipuè, quod Rex tributa navigantibus imponeret. Præsentis temporis momento Rex de Anglorum gente benè meritus partem tantummodo exercitûs, (ut & status rerum præsens desiderare videtur,) conservare amaret : Ast obstat planè populus adeoque Aula nolens volens que consentire cogitur; præcipuè, quia nervus seu ærarium sub potestate Nationalis Conventus sive Parlamenti continetur, quod hac in re Regis voluntati non assentiendum existimat. Imo peregrinum militem & ipsos, quos â juventute huc usque tenuit, Corporis Custodes, ex Regno dimittere constringitur. Quamvis igitur articulus hic Coloniæ libertatem asserere & firmam reddere videatur; mihi tamen persuadeo, si res ad subscriptionem pecuniæ conferendæ deventa fuerit, difficilem plurimis visum iri. Hinc modificationem hanc necessariò apprehendendam judico, sicuti etiam universa res, in illis terminis, prout in Pointzii Contractu & ejus additionibus continetur, relinquenda est.*

15 Societas offert necessariis & salario instruere ac alere præsentem Gubernatorem, prout ejus dignitati conveniet.

Hæc eo intelligi vult sensu Societas, si primi Gubernatoris electio ipsi fuerit relicta.

Dictus

16 Dictus Baro de *Blumberg* aut Ducis dicti Ablegatus vel Agens, qui tum temporis erit, singulis vicibus Conventui adsistet, tranctandorum Negotiorum & necessario ordinandarum rerum ejusmodi gratia, quæ ad occupationem Insulæ & constituendam negotiationem, quæ ad dictam Insulam & reliquas connexas illi materias pertinent, (vel ullo modo referri eò possunt;) In quo electo Conventu liberum ille habebit votum.

Hunc Articulum pro Serenissimæ Domus commodo & utilitate inserendum curavi, quò, si res successerit, nihil, quod præjudicio esse queat, quamdiu heïc forsan commorabor, perpetretur. Præterea nonnullos Amicorum pellicere annitor, ut pro aliquot agrorum millibus quasdam pecuniæ summas conferant vel subscribant, quorum vota Serenissimæ Domus commodo lucraturum me fore certò persuasus sum.

17 Siquidem dicta Insula sub Coronæ Anglicæ tenetur protectione, & Sua Celsitudo Suæ Majestatis plantationibus Sachari non vult adversum ire, provisum hisce est, omnem Sachari confectionem in dicta Insula prohibitam fore.

Hic Articulus magni sanè momenti est, neque unquam plantatam iri Insulam crediderim, nisi prohibitio hæc fuisset inserta tractatui. Mercatores enim Insulæ Barbados tantum abest, ut ipsi simul Societati se vellent adjungere, quin potius maxima opponere incipiebant obstacula. Optimè etiam nunc cognitum habeo, quomodo & quâ potissimum ratione, miser ille Pointzius, *tempore* Caroli II. *Regis Brittanniæ, ad extrema redactus fuit. Nam etsi Majestas*

ſtas ſua Pointzio *ſub initium calcar animumque addiderit, adeò, ut in Thameſi fluvio aliquot naves ad tranſportandam coloniam paratas haberet; mutavit mentem citò, ſimulac Gubernator Inſulæ Barbados Regi in aurem ſuſurraſſet, ſi* Tobago *Inſulæ plantationem & culturam permitteret, Zachari Anglorum officinas, imprimis illas, quas in Inſula Barbados habent, & ex quibus magnum quotannis hîc vectigal exſolvitur, neceſſario interituras fore: Adeòque hæc una illorum conditionum eſt,* ſine quibus non, *&c. Tempore autem ſuccedente, ſi Numen conatui annuerit, ſtatui ac ſuſcipi poterit, quod utile magis viſum erit, cum &*, cujus eſt interdicere, ſit etiam promulgare. *Prohibitio quoque hæc Societatem tantummodo reſpicit, cui illa placuit, & quam ipſa, ut fieret, petiit. Si verò proprii Veſtræ Celſitudinis ſubditi in inſula ſedes ſuas conſtituerint, plantare illis licebit, quæcunque utiliora judicabunt.*

Promiſſionis ſeu Contractus (ſc: hujus) reſpectu, dic-
18 tus *Thomas Puckle*, *Nicolaus du Pin*, *Richardus Goddard*, & *Joſephus Blake*, Suo & Societatis nomine, pollicentur obligatoria lege ſolvere, & in ſcamum Anglicanum (vulgo *the Bank of England*), vel alias ſecuras manus deponere, duo millia ponderum legitimæ monetæ Anglicanæ, pro uſu dictæ Suæ Celſitudinis, Hæredum, & Succeſſorum, idque intra unius menſis ſpatium, poſtquam ſubſcriptionis decem quinque millium Sterlingicæ Monetæ ponderum ſumma, pro propoſita Societate, erit completa. Summa hæc integra ſit oportet, ex qua deinde duo millia Sterlingorum ponderà detrahi a dictis partibus debent, pro ſumptibus, oneribus & expenſis, quas

fe-

fecêre & quæ adhuc faciendæ ſunt, pro proſequendo formando, promovendo, & adjuvando ejusmodi inſtituto, ut & pro gratia reddenda iis, qui hanc expeditionem promoverunt. Non plus quam mille Sterlingorum pondera hunc in uſum collocari debent; alterum mille intra duos annos ſequentes Suæ Celſitudini ſolvendum erit; hoc eſt quingenti pondera, menſe Decembri, qui apparebit anno Domini noſtri milleſimo Septingenteſimo, & reſidua quingenti pondera illius ſummæ, menſe Decembri, anni Domini Noſtri, milleſimo, Septingenteſimo primo, cenſus inſtar trium annorum. Hæc pecuniæ ſumma aſſecurari & deponi debet uno poſt ſubſcriptionem menſe, & nulla expeditio ad dictam Inſulam ſuſcipietur antequam nummi prædicti ſoluti, dati, aut aſſecurati fuerint.

Plus exigere aut obtinere non potui. Nam ſi expenſæ & periculum, quod homines iſti coguntur experiri, in trutina ſuſpendantur, haud levis momenti rem eſſe eluceſcet. Juxta modicam & parcam computationem, extra omne dubium poni debet, ſi vel mille tantum perſonæ transportentur, ſumptus primo pendente anno faciendos ad minimum duodecim millia librarum ſterlingicarum adæquaturos eſſe. Neminem fugit tranſportationem unius & ſingulæ perſonæ, ex Anglica ad Inſulam Barbados, ſex libris Stirlingicis conſtare; & ſi ad alimenta cujuſque individui per annum ſex quoque tantummodo conſtituantur libræ, in ſingula capita duodecim liberas expendi per annum oportere patet. Quid dicam de neceſſariis, ad domos exſtruendas & agros

excolendos, requisitis sumptibus? Juxta prudentum quoque Mercatorum computationem centum personæ unius anni spatio quinquaginta vix agros præparare, seu â fruticibus & lolio, quô teguntur, purgare poterunt, ut proximo demum anno sustentationem ipsis præbere queant. Adeo primis illis & successivis tribus vel quatuor annis parum vel planè nihil mercium proferre poterunt; cujus intuitu omni exhortatione & adminiculo Societatem hanc opus habere arbitor. Frustra cum Pointzio *spes in eo collocatur*, terrestre hanc Insulam Paradisem esse, *in quâ sponta sua fruges proferat terra, cunctaque absque labore progerminent. Maledictio æquè benè Americanis Regionibus, quam resiuis terreni orbis partibus incumbit, in quibus nihil absque opera, sudore, & sumptibus obtineri potest. Testimonii instar sint* Barbados *cæteræque adjacentes Insulæ. Quod dictum unum illud mille liberarum Sterlingicarum ad deducendas expensas attinet, inficias iri non potest, homines illos sumptus non leves fecisse. Si conatus hic non successerit, damnum pati illos consequitur; si vero successerit, æquum est damno illos eximi & liberari. Sunt etiam & latent clandestinæ hîc expensæ, quibus favorem hominum lucrari & huic proposito innectere quasi necesse habent. Ast rationem expensarum extradant oportet; minus quidem mille liberis Sterlingicis habere possunt, nullatenus vero, quod summam hanc superet. Præterea Gubernator, (si dictus Wallerus huîc præficiatur muneri), partem hujus summæ obtinebit, quoniam non parum hactenus expendit, quamvis cœterum ære non abundet. Serenissima Vestra Celsitudo duos uno actu virtutes exercere poterit,* justitiæ *nimirum; ut hominibus illis sumptus restituantur facti;* & Generositatis *seu* munificentiæ, *ut pro labore & operâ sumptâ præmio fruantur. Nihil enim hîc loci gratis suscipitur, addito, omnem sup-*

pel-

pellectilem caram, atque præterea proverbio locum esse; facio ut des.

19 Sua Celsitudo liberam habebit potestatem unum aut plures Commissarios mittere, ad occupationem istius Insulæ, ordinandos reditus, qui ipsi exsolventur, & ad informationem sumendam, de Regimine & Plantationibus, ut & de illo, quod quôquo modo Insulæ & proprium suum in illa contentum commodum respicere queat.

20 Si subscriptio pro decem quinque millibus ponderum, ad possessionem Insulæ capiendam, intra spatium trium mensium ad plurimum non fuerit completa, aut Insula intra duodecim menses â dato hujus non incepta fuerit possedi vel plantari, contractus hic nullus & quasi non factus erit.

Hunc Articulum temporis respectu firmum & clarum reddere Marini contractus svasit; quô nulla temporis expressi clausula continetur, quando Pointzius rem aggredi debeat: Ea propter jus quoque suum prætendit & postulat. Difficile igitur erit illum excludere, quum & auctoritate spectabiles personæ illum fulciantur. Optarem quidem, ut opus hoc succederet; dubito tamen, quia pecuniam subscripturi Articulis non pauca opponunt: Utiles admodum Principi, parum verò lucrosos subditis esse dicunt. Persuasum habeo, tantùm adhuc temporis præterlapsurum esse, ut responsionem ex Curladdia recipere queamus. Opto alius ex Curlandia citò veniat, qui me hâc operâ liberet. Hæc natio mentem adeo animumquè sæpius mutat,

ut illi planè non liceat confidere, cautio quoque adhibenda, si quis cum illa contrahere velit.

21 Præterea dictus Ablegatus hoſce Articulos ſeu Contractum hunc ad Principem ſuum transmittere, & quam primum ratificationem acceperit, cum prænominata Societate commutare pollicetur. Aſt ſi neceſſitatis cauſa & prægnantibus rationibus Societas illa expeditionem ante ratificationem acceptam ſuſcipere permota fuerit, ſiquidem proximo Januario, aut quam primum ipſi poſſibile erit, primam expeditionem (pro dicta Inſula excolenda deſtinatam) incipere conſtituit; dictus Ablegatus plenipotentiam ſuam produxit, ad excitandam abſque temporis lapſu Societatis hujus curam, pro capeſſenda nomine Suæ Celſitudinis, dicti Ducis Curlandiæ, Inſulæ Tobago poſſeſſione.

22 Si dubia aut quæſtiones ſupra fidelem intentionem & ſenſum, aut ſupra verbum, vel clauſulam, in his Articulis contentam, exorta fuerit, conventum eſt, omni tempore, & in omnibus rebus, talem tantamque interpretationem a Gubernatore, Senatu, & Conventu fieri debere, quæ exiſtimabitur & videbitur plurimum commoda & favorabilis Sereniſſimæ Celſitudini, Domino Duci, Hæredibus, & Succeſſoribus.

In

23 In fidem hujus, partes harum præsentium, hoc est, *Baro de Blumberg*, titulo & nomine suæ Celsitudinis; & *Thomas Puckle*, *Nicolaus du Pin*, *Richardus Goddart* & *Josephus Blaeke*, authoritate & nomine proprio, ut & propositæ Societatis, mutualiter huic contractui manus & sigilla suppositê, die & anno supra expresso.

B. de Blumberg. *Nicolaus du Pin.*

Richardus Goddart.

Thom: Puckle. *Joseph: Blake.*

Sciendumest, prævia dictorum hominum compulsione obli- obligatum me fuisse, ut Articulos hosce sigillo meo firmarem; Ast nulla illis hactenus extradidi Instumenta; quin potius in manibus Baronis Benjamini Aylofs illa deposui, tempusque protuli, ut ex Curlandia responsum reciperem, & Capitaneo Pointzio *promissa complendi occasionem suppeditarem. Præcipuè, quia terminus trium mensium, quo subscriptiones, seu conferendæ pecuniæ summa adimpleta esse debet, constitutus erat, tractatum hunc concludere necessum fuit. Quatuor jam præterlapsæ fuerunt septimanæ, levesque hactenus factæ subscriptiones: quapropter prababile est, satis superfuturum temporis, ut ex Curlandia præcipiatur, quid porro sit faciendum.*

Plaise à Vostre Alteſſe Sereniſſme.

DEpuis le depart du Noble Monsr. *Prætorius*, Envoyé de Vostre Alteſſe, Il nous a fait connoître le bon plaisir de vôtre Alteſſe, qui étoit, que nous deputâmes quel-

quelqu'un vers vôtre Alteſſe à Mitau, touchant les affaires de l'Iſle de *Tobago*, dont il s'agit à preſent, qui nous donne touttes ſentiments de reconnoiſſance pour l'honneur que Vôtre Alteſſe nous fait. Mais ayant un juſte ſujet d'apprendre, que les troubles, qui ſont dans voſtre Voiſinage, & les grandes diverſions empêchent Voſtre Alteſſe de penſer à cet Etabliſſement-c'eſt pourquoi nous prennons la hardieſſe, quoy qu'abſents de repreſenter à Voſtre Alteſſe l'affaire, comme nous croyons qu'elle eſt dans l'Etat preſent viz. Après noſtre premier accord avec Monſr. *le Baron de Blomberg*, nous travaillâmes a procurer des ſouſcriptions pour faire un fond à fin de lever de l'argent, pourvoir des Vaiſſeaux, & tout ce qui étoit neceſſaire pour une Expedition vers la dite Iſle; Et nous fîmes un progrez dans cette affaire auſſi conſiderable, qu'on pouvoit raiſſonnablement attendre ſans aucune Ratification de noſtre accord de la part de la Cour de Courlande, que nous attendîmes pluſieurs mois avec beaucoup d'impatience, a defaut de quoy nos meſures furent rompues, la plus grande part de noſtre fond divertis a d'autres uſages, & nos interêts diviſes: mais après que nous ouymes, que le dit Sieur *Prætorius*, Envoyé de Voſtre Alteſſe venoit icy, nous deſiſtames de paſſer outre juſques a ſon arrivé, avec qui nous contractames de nouveau, (ne doutant point, que Voſtre Alteſſe n'ayt veu cet

Accord)

Accord de cet Sieur, a quoi nous fimes noſtres applications vers le Roi, comme nous avions fait auparavant ſur l'agréement convenu avec le *Baron de Blomberg* : Suppliant tres-humblement Sa Majeſté de confirmer le dit Contract, qui nous r'envoya au Conſeil de Commerce au quel il pleut de rapporter ; que la Maiſon de Courlande n'avoit point de Titre ſur cette Iſle, ſurquoi comme nous ſommes informé, fut donné ordre au Gouverneur de Barbados de ne ſouffrir point qu'il ſe fit aucune Eſtabliſſement dans la dite Iſle : cependant Monſieur Tallard Ambaſſadeur de France reclama cette Iſle pour ſon Maiſtre, & nous ſommes pareillement informez que les Hollandois font de même des efforts pour s'établir dans cette Iſle, dans l'eſperance d'obtenir la concurrence de Sa Majeſté : c'eſt pourquoi nous croyons qu'il eſt abſolument neceſſaire pour voſtre Alteſſe pour aſſurer & maintenir le titre que la maiſon de voſtre Alteſſe a ſur cette Iſle, que nous jugeons dans toute humilité ne pouvoir en aucune maniere eſtre conclû icy par un Conſeil de Commerce, mais que ſi ce ſont des differents entre des Princes Souverains que n'y peut avoir que des Princes Souverains qui en ſoient les arbitres. Et par ainſi nous ne doutons nullement, que le droit & le titre de la tres Illuſtre Maiſon de

Courlande ne ſoit maintenu. C'eſt pourquoi avec toute les humbles ſoumiſſions que nous devons a voſtre Alteſſe Illuſtre nous ſommes d'avis, qu'il faut premierement ôter tous les obſtacles qui ſont formez dans noſtre Cour, avant qu'on puiſſe aller plus avant, oſant eſperer qu'il n'y aura aucune mesintelligence entre voſtre Alteſſe & nous, étant tous bien perſuadé que l'intention de voſtre Alteſſe eſt, que l'Iſle ſoit établie par nous, qui, quoi que nous ne ſoyons pas les premiers en ce deſſein, ſommes pourtant les plus reſolus a l'entreprendre.

Les deſavantages qui reſulteroient a la nation Angloiſe, ſi les François ou les Hollandois s'établiſſoient dans cette Iſle, ſeroient ſi conſiderables, que le Parlement les reſentiroit bientot, & ſans doute ne manqueroit pas de s'addreſſer au Roi, pour les faire ceſſer, ſans quoi la choſe deviendroit ainſi fatale aux intérêts de la Maiſon de Courlande; mais voſtre Alteſſe s'accommodant avec noſtre Cour afin que le produit de cette Iſle fut apporté ici premierement, obligeroit la Couronne d'Angleterre a prendre un ſoin plus particulier a la proteger contre aucune puiſſance Etrangere: Et nôtre ſentiment previendroit toute ſorte de troubles que les Plantations de Sa Majeſté, qui ſont dans l'Amerique pourroient cauſer, mais plustot les obligeroit

a donner leur assistance & de fournir ce, dont on auroit besoin, ce qui contribueroit beaucoup a un prompt & effectuel établissement & Plantation de ce tteIsle.

Si bien qu'il ne manque plus rien a faire la dessus, si ce n'est que vostre Alteſſe, satisfasse Sa Majesté de la grande Bretaigne sur son droit & titre qu'elle à sur cette Isle, ce qui étant fait, vostre Alteſſe nous trouvera non seulement d'un sentiment prompt & zelez, mais même prêts a travailler a l'Etablissement de la ditte Isle, concluants qu'il plaise a vostre Alteſſe Sereniſſime, nous permettre de finir en souhaitant a vostre Alteſſe toute sorte de santé & de prosperité faisſants le même souhait a son Alteſſe Tres-Illustre *Le neveu* de Vostre Alteſſe, & a toute la tres-Illustre Maison de Courlande.

P: S:

Plaise a Vostre Alteſſe.

DEpuis que nostre letre a eté écrite nous sommes informez, qu'un Certain Chevalier Ecossois de nation lequel avoit eté admis dans nostre Societé sans contribuer a nostre grande depense, est sur le point de son depart vers Vostre Alteſſe, pour traitter de l'affaire de TOBAGO, ce qui étant sans nostre commission ou connoissance, nous donne tems de soub-

çonner que c'eſt avec deſſein de nous prejudicier pour favoriſer la *Compagnie d'Ecoſſe*, ce qu'au cas qu'il entreprit, comme ce ſeroit fort ingrat de ſon côté, ainſi nous ſommes aſſeuréz par, honneur & la Juſtice de Voſtre Alteſſe contre toutes les craintes de ſucces, que des telles entrepriſes ſous main nous pourroient cauſer, ne doutant point que Voſtre Alteſſe n'aime mieux nous encourager, nous, qui avons traverſez toutes les difficultez, troubles, les fraix qu'il a fallu faire juſques ici, ce qui non ſeulement avancerons de tout noſtre pouvoir l'Etabliſſement de l'Iſle, mais qui nous dirons a jamais,

De Voſtre Alteſſe,
Voſtres tres-humbles & tres-
Obeiſſants Serviteurs.

La ſubſcription
A ſon Alteſſe tres-Illuſtre
Ferdinand, Duc de Courlande,
Soit tres-humblement preſenté

John Britton.
Thomas Punkle.
Richard Ryves.
Joſeph Blake.
Richard.

FINIS.

J727
I11+